

EIUSDEM AUCTORIS

PRAELECTIONES SCHOLASTICAE, vol. XII, In 8.º

- I. *De fine ultimo hominis*, Madrid, 1954, pp. X-120.
- II. *De actibus humanis*, Romae, 1950, pp. XI-299.
- III. *De habitibus et virtutibus in communi*, Romae, 1950, pp. XVI-281.
- IV. *De vitiis et peccatis*, ed. 2.*, Madrid, 1958, pp. XII-198.
- V. *De lege*, Madrid, 1953, pp. XI-193.
- VI. *De gratia*, Romae, 1947, pp. XII-191.
- VII. *De fide*, Romae, 1937, pp. XII-199.
- VIII. *De spe et caritate*, Madrid, 1954, pp. XII-256.
- IX. *De prudentia*, Madrid, 1952, pp. XI-120.
- X. *De iustitia*, Romae, 1938, pp. XVI-456.
- XI. *De fortitudine et temperantia*, Romae, 1939, pp. XII-224.
- XII. *De statibus hominum variis*, Madrid, 1958, pp. XII-224.

CASUS CONSCIENTIAE, in 8.º

- I. *De principiis*, Madrid, 1960, pp. XVIII-268.
- II. *De virtutibus theologis*, Madrid, 1961, pp. XXI-335.
- III. *De virtutibus cardinalibus*, Madrid, 1963, pp. XXIV-423.

CASOS Y LECCIONES DEL QUIJOTE, ed. 2.ª, Madrid, 1952, pp. 208.

LA CONTINENCIA PERIODICA, Madrid, 1956, pp. 42.

HONRADEZ Y PROSPERIDAD, Madrid, 1957, pp. 42.

LA OBEDIENCIA, Madrid, 1957, pp. 103.

PSICOLOGIA DE LAS PASIONES, Madrid, 1958, pp. 182.

LARRAGA-LUMBRERAS

Prontuario de Teologia Moral, Madrid, 1950, pp. 596-599.

Epitome de Teologia Moral, Madrid, 1953, pp. 680.

CASUS CONSCIENŦIAE

ANTIQUI ET RECENTIORES I

QUOS SOLVIT ET COLLEGIT

PETRUS LUMBRERAS, O. P.

IN UNIVERSITATE S. THOMAE SUMMAE THEOLOGICAE PROFESSOR
AD S. APOLLINAREM CASUUM MORALIUM CENSOR
DATARIAE APOSTOLICAE THEOLOGUS
SACRAE PAENITENTIARIAE CANONISTA
SOCIUS PONT. ACADEMIAE ROM. S. THOMAE

IV

DE STATIBUS ET OFFICIIS

School of Divinity Library
Louis, Missouri 63108

W h l f

EDICIONES STVDIVM

MADRID

PONTIFICIA UNIVERSITAS S. THOMAE

ROAIAE

Nihil obstat

P. Raymundus Sigmond, O. P.
S. Th. Mag.

P. Ludovicus Bender, O. P.
S. Th. Mag.

Imprimi potest

Anicetus Fernandez, O. P.
Mag. Gen.

6 5 APR

Imprimatur

E Vicarlatu Urbis, 31 mart. 1964.

Aloysius. Card. Traglia,
Provicarius.

N. Rgtr. : 1.590-64

Depôslto legal : M. 12.142,— 1964

Bolanos y Ajuilar» S. L. - General Sanjurjo, 20. - Madrid, 1964.

L. S.

«Postquam dictum est de singulis virtutibus et vitiis quae pertinent ad omnium hominum condiciones et status, nunc considerandum est de his quae specialiter ad aliquos homines pertinent. Invenitur autem differentia inter homines... secundum diversitatem officiorum et statuum» (S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, prol. in q. 171).

Agemus igitur cum Auctore de statu religioso, eique adnectemus sacerdotale officium—quod proprie officium sit—ut voluminis *De Sacramentis* proximi restringamus copiosum argumentum, praemittentes, ut par est, negativa praecepta et postponentes sacrorum ministrorum actus, circa corpus Christi mysticum, secundarios.

Eadem de causa perpendemus matrimonialem statum—qui status vere est et communiter dicitur—, de obligationibus loquentes mutuas inter coniuges; quae enim sunt parentum erga filios manent in superiori volumine enodatae.

Prae laicorum officiiis, ne sermonem coarctemus ad ea quae vocamus hodie professiones, quaestio de illorum munere in Ecclesia—nostris his temporibus controversa—, de specialis professionis delectu et de iure ad laborem, cui intime coniungitur proprietatis ius; ideo tractamus de proprietatis functione sociali et consequenter de patronis. Senatorum, denique, ac notariorum

vin

munia ad extremas paginas remittimus propterea quod haec vitae instituta et magis subsint mutationi et minus pendeant ab electione propria.

Romae, in festo SS. Apost. Petri et Pauli, 29 iunii 1962.

Auct or

INDEX

DE STATU RELIGIOSO

	a n .
Votum paupertatis	1-13
Doctrina	1-4
Causus I: Superiorissa quoad licentiam dandam retinendi et expendendi pecuniam ab amicis acceptam	5-8
C. II: Religiosi dominium in opus manuscriptum.....	0
C. III: Religiosus esculenta et poculenta surripiens....	10
C. IV: Id. recipiens, absque licentia, dona pro aliis...	11
C. V: Id. expendens generali licentia pecuniam sibi datam in res attamen superfluas et illicitas.....	12
C. VI: Num ad restitutionem teneatur monialls quae bona destruxit monasterii vel consumpsit absque licentia	13
Clausura papalis	14-25
Doctrina	14-18
Causus I: Num detur in clausurae violatione parvitas materiae	19-20
C. II: Paganas feminas intra virorum claustrum admittens	21
C. III: Feminas retinens quae virorum clausuram violarunt	22
C. IV: Quid sit agendum sacerdoti communionem distribuenti si particula ceciderit intra clausuram....	23
C. V: Monialis legitime egressa at per notabile tempus regressum differens	24
C. VI: Num Ordinarius loci valeat concedere monialibus ut operam praestent in ecclesia vel sacristia.	25
Votum oboedientiae	26-35
Doctrina è.....	26-27
Causus I: Typis mandans opus ex superiorum praeecepto aut licentia.....	28-30

C. II: Num religiosus oboediens se habeat ad superio- rem Instar baculi ad manum.....	31
C. III: An superior debeat explanare subditis prae- ceptorum rationes	32
C. IV: Utrum subditus teneatur propriam dimittere opinionem	33
C. V: Religiosus qui putat se vocari a Deo ad opera quae praelatus non permittit.....	34
C. VI: Senior monialls maiorem difficultatem experta In oboediendo quam cum esset lunlor.....	35
Regulae et constitutionum obligatio	36-48
Doctrina	36-39
Causus I: Triplex opinio falsa de praeceptorum Regu- lae natura	40-42
C. II: Num superior religiosus obligare possit ad so- lam poenam	43
C. III: An Regulae transgressio vix aut ne vix quidem vacet a culpa	44
C. IV: Utrum mandata superiorum obligent In con- scientia	45
C. V: Meritum oboedientiae penes observantem Re- gulam	46-47
C. VI: Num religiosus careat per totam fere vitam merito voti	d8
Ingressus in religionem	49-59
Doctrina	49-51
Causus I: Tria argumenta pro obligatione sectandi vocationemreligiosam	52-54
C. II: Pericula imminencia vocationi non obsequen- tibus	55
C. III: An peccet qui vocationem non sequitur pariter ac qui eum a vocatione avertunt.....	56
C. IV: Ingressus noviciatum an teneatur profiteri.....	57
C. V: Num ob sororis commodum teneatur puella dif- ferre ingressum in monasterium.....	58
C. VI: Utrum a postulantatu et noviciatu peccatores sint excludendi.....	59
Egressus e religione	60-73
Doctrina	60-65
Causus I: Volens transire in religionem strictiorem.....	66-68
C. II: Religionem ingressus ut post sacerdotium sae- cularizaretur	69

nn.

C. III: Religiosus num teneatur dispensationem a votis impetrare ut curam gerat filii sacrilegi....	70
C. IV: Petens dispensationem a votis quod onera religionis sustinere nequeat	71
C. V: Recusans dispensationem a votis impetratam.	"2
C. VI: Apostata a religione, a quo absolvendus.....	7-

DE OFFICIO SACERDOTALI

Vocatio sacerdotalis	74-85
Doctrina	74-76
Causus I: Vocatio non consistit in inclinatione.....	77-30
C. II: Tendentiam habens homosexualem eamque congenitam	81
C. III: Normae datae ab episcopo circa materiam castitatis	82
C. IV: Absolutio neganda ad Ordines aspiranti non vocato	83
C. V: Ingressus in seminarium non impediendus.....	84
C. VI: Vocationum promotor quos invitet.....	85
Negotiatio vetita	86-98
Doctrina	86-87
Causus I: Oeconomus provincialis Congregationis vacans negotiationi eamque suggerens sacerdoti saeculari	88-93
C. II: Parochus negotiationi vacans ut suis atque familiae necessitatibus provideat.....	94
C. III: Parochus hereditate accipiens commerciale Institutum	95
C. IV: Clericus minoris emens ut carius vendat, an continuo de negotiatione carpendus	96
C. V: Sacerdos plura libri exemplaria minoris emens quae collegis vendat	97
C. VI: Mercatura quoad sodales Institutorum saecularium	98
Sacerdos matrimonium attentans	99-109
Doctrina	99-101
Causus I: Sacerdos qui matrimonium attentavit nec potest a complice discedere.....	102-104
C. II: Quid si complex non paenitet.....	105
C. III: Quid in mortis periculo.....	106
C. IV: Id. si complex mortua vel dimissa fuit.....	107

	nn.
C. V: Complice dimissa, an ad ordinis exercitium denuo admittendus	108
C. VI: Matrimonii attentatio occulta.....	109
Applicatio Missae pro populo.....	110-122
Doctrina	110-114
Causus I: Parochus eam committens celebranti Mis- sam vespertinam	115-117
C. II: Applicatio in festis patronorum alterius pa- roeciae quam parochus administrat.....	118
C. III: Quoad vicarium oeconomum qui plures paroe- cias regit	119
C. IV: Parochus remittens applicationem ad diem fe- rlalem; vel non applicans ob penuriam.....	120
C. V: Committens applicationem ei qui missam can- tat	121
C. VI: Applicans Missam binatam pro populo paro- chi quem legitime supplet.....	122
Celebratio Missae ob stipendium.....	123-135
Doctrina	123-126
Causus I: Intentiones commutans quarum excessum retinet	127-130
C. II: Interrumpens seriem Gregorianarum.....	131
C. III: Quomodo constet excessum datum fuisse in- tuitu personae	132
C. IV: Colligens stipendia atque retinens foenus ex aeris permutatione	133
C. V: Si latrones furantur stipendia.....	134
C. VI: Si stipendia amittunt suum valorem.....	135
Sacerdotum in rem politicam interventus.....	136-146
Doctrina	136-138
Causus I: Auctoritatis ecclesiasticae praeceptum de suffragio dando uni ex partibus.....	139-141
C. II: Sacerdos cui ab Ordinario vetatur actio po- litica	142
C. III: Cardinales, archiepiscopi et episcopi quoad munus senatorum sollicitandum et acceptandum.	143
C. IV: Parochus quoad fideles qui in partibus poli- ticis militare volunt cum acatholicis.....	144
C. V: In quibusnam id liceat adiunctis.....	145
C. VI: Suffragantes parti communistae num et pec- cent et censuram incurrant.....	146

Experimentum sacerdotum labori addictorum.....	147-158
Historia	147-149
Causa I: Crisi subiciens Hierarchiae ecclesasticae interventum	150-155
C. II: An finis impositus fuerit praeproperus.....	154
C. III: De prohibitionefacta semlnarlstis.....	155
C. IV: Cur apostolatus illecommittendus lalcis.....	156
C. V: Etsi lalcis periculosior.....	157
C. VI: An commissio facta membrs sive Instituto- rum Saecularium sive Actionis catholicae sit de novitate arguenda	153
Parochorum obligationes	159-169
Doctrina	159-161
Causa I: Parochus qui se ineptum putat novis paroec- cialis vitae condicionibus	162-164
C. II: Parochus illegitime absens a paroecia.....	165
C. III: Parochus statutis tantum diebus confessio- nes excipiens	166
C. IV: Parochus omittens et vicarius praemittens commendationem animae	167
C. V: Parochus omittens concionem ad populum.....	163
C. VI: Hora qua habenda est homilla et catechetica Instructio	169
Interrogationes a confessario faciendae.....	170-181
Doctrina	170-171
Causa I: Ad matresfamilias pauperes de abusu matri- monii	172-176
C. II: Ad Impuberes circa peccata contra sextum.....	177
C. III: Ad accusantem verba impia prolata in Deum.	178
C. IV: De circumstantiis notabiliter aggravantibus in materia furti.....	179
C. V: Quoad moribundos	180
C. VI: Quoad nomencomplicis.....	181
Confessionis sigillum	182-193
Doctrina	182-185
Causa I: Duo vicarii invicem colloquentes de peccatis utrique confessis	186-188
C. II: Narrans se audivisse confessionem peccatoris publici qui et signum conversionis publicum pro- misit	189
C. III: Confessarlus indigens consilio in casu dif- ficili	190

	nn.
C. IV: Loquens de peccatis confessis cum ipso paenitente	191
C. V: Fugiens a sede confessionum ob minas sibi intentas	192
C. VI: Num clandestinus ad confessionem accessus cadat sub sigillo.....	193
U s u s S C I E N T I A E E X C O N F E S S I O N E H A B I T A E	194-204
Doctrina	194-196
Casus I: Pro remotione subditi ab administratione...	197-199
C. II: Referens in concionibus et colloctionibus peccata in longa confessionum serie audita.....	200
C. III: Renuens audire paenitentem quem ex confessione praevia molestum novit.....	201
C. IV: Propositum mutans ob notum ex aliorum confessionibus malefidum esse locatarium quem evolvebat mente	202
C. V: Duplicans vigilantiam erga paenitentem.....	203
C. VI: Audiens in confessione sibi Insidias paratas...	204
Munia directoris spiritus in seminariis.....	205-216
Doctrina	205-207
Casus I: De secreto servando.....	208-211
C. II: De tutiori sententia sectanda.....	212
C. III: Caritas aut severitas?.....	213
C. IV: De normis datis a theologis et a S. Sede.....	214
C. V: De timore ne ministri deficient.....	215
C. VI: In sententia de vocatione confessarius remittat alumnum ad directorem spiritus.....	216
 DE STATU CONIUGALI 	
Coniugum obligationes mutuae.....	217-228
Doctrina	217-220
Casus I: Num Ecclesia pusillam partem amori tribuat In nuptiis ineundis et tutandis.....	221-223
C. II: De feminarum emancipatione.....	224
C. III: Prohibens religiosa uxoris exercitia.....	225
C. IV: Vir, contra uxoris voluntatem, longam cupiens peregrinationem	226
C. V: Separatio coniugum a toro et habitatione.....	227
C. VI: Num pollutio viri sit adulterium.....	228i

Coniugalis COPULA	229-239
Doctrina	229-230
Causus I: Fecundatio(melius inseminatio) artificialis.	231-234
C. II: Copula demidiata.....	225
C. III: Num excuset a debito reddendo proles copiosa.	236
C. IV: Vel timor ne proles nascatur infirma et vitiosa	237
C. V: Usus matrimonii penes conjugem qui castitatem vovit	233
C. VI: Id. indubio de impedimento dirimente.....	239
Onanismus coniugalis	240-250
Doctrina	240-242
Causus I: Uxor quoad copulam Interrumpendam reddendam aut petendam.....	243-245
C. II: Id. quoad voluptatem actus a viro abrupti.....	246
C. III: Id. quoad sui excitationem.....	247
C. IV: Uxor, ex timore graviditatis exitialis, inducens virum ad onanismum.....	248
C. V: Num uxor teneatur debitum reddere viro onanistae	249
C. VI: Confessarius quoad paenitentem onanistam...	250
Continentia periodica	251-261
Doctrina	251-253
Causus I: Numerosa proles an motu vum sufficiens.....	254-256
C. II: Continentiae periodicae propositum Invalidans matrimonium	257
C. III: Id. non invalidans sed inlustum.....	258
C. IV: Id. si ex mutuo consensu penes male dispositos.	259
C. V: Penes non male dispositos.....	260
C. VI: Quid agendum coniugibus prae susceptione methodi	261

DE OFFICIIS LAICORUM

Munus laicorum in Ecclesia.....	262-273
Doctrina	262-264
Causus I: Praeses Actionis Catholicae independentiae cupidus	265-268
C. II: Num laici constituent in Ecclesia elementum mere passivum	269
C. III: Theologia laica, laicatus, pro laicis.....	270

	un.
C. IV: Num omnes fideles vocati sint ad apostolatatum	271
C. V: Quid de sentientibus prophetica missionem...	272
C. VI: Quid de illuminatis lumine prophetico.....	273
Professionis electio	274-284
Doctrina	274-275
Causus I: Status interventus inelectione.....	276-279
C. II: Negans libertatem electionis quod quisque teneatur agere quantumpotest.....	280
C. III: Aut id cui praedominans facultas et propensio.	281
C. IV: Status quoad definiendum laborem productivum	282
C. V: Id. quoad professiones arduas et humiles.....	283
C. VI: Filius familias professionem eligens patre invitato	284
Ius AD LABOREM	285-296
Doctrina	285-287
Causus I: Partes parochi in eo iure ad praxlm reducendo	288-291
C. II: Librorum scriptor petens Statusinterventum...	292
C. III Num divites teneantur offerre laborem lucrativum quasi restitutionem mercedisinlusteablatae.	293
C. IV: Num Status et divites teneantur laborem dare ad vitanda maxima mala.....	294
C. V: Renuens terras colere quoniam, determinatis a Statu salario operariorum et rerum pretio, nullum facit lucrum.....	295
C. VI: An Status teneatur laborem lucrativum praebere ex lustltiae distributivae officio.....	296
Functio socialis proprietatis	297-306
Doctrina	297-298
Causus I: Cessans ab activitate aedilitia et agricola quod privatur a Statu questuadlibitum.....	299-301
C. II: Communism! ficta commoda.....	302
C. III: An lus proprietatis possit ab hominibus abrogari	303
C. IV: Saltem ut homines meliores fiant.....	304
C. V: Vel ne divites abutantur.....	305
C. VI: Pecuniam servans improductlvam.....	306
Patronorum obligationes	307-317
Doctrina	307-308
Causus I: Feminea opera, prae virili, utens in opificio.	309-312

	nn.	
C. II: Operarios adhibens labori sanitati noxio.....	312	
C. III: Quoad curam famulorum aegrotantium.....	314	
C. IV: Ob novae machinae perfectionem dimittens operarios et patronosceterosdamnificans.....	315	
C. V: Deprimens mercedem operariorum ut sibi com- penset	316	
C. VI: An <i>lock-out</i> sit contralustitiam.....	317	
Machinariorum obligationes	313-329	
Doctrina	318-320	
Causa I: Nimia suscipiens opera num de damnis re- spondere debeat	321-324	
C. II: Licitoris concursum pertinentes.....	325	
C. III: Conventio inter concurrentes.....	326	
C. IV: Materiam viliozem adhibens quam conventum fuerat	327	
C. V: Inspectorum operis captans benevolentiam.....	328	
C. VI: Error in pretio suscepti operis.....	329	
Mercatorum obligationes	330-342	
Doctrina	330-332	
Causa I: Vendens vinum mixtum pro puro et oleum quod partim est seminum pro oleo olivae.....	333-337	
C. II: Pretium affectionis.....	338	
C. III: Pretium utilitatis quae est eumentis.....	339	
C. IV: Num liceat vendere pretio infra legale.....	340	
C. V: An deficientibus vulgari et legali, pretium quod- cumque conventionale lustum.....	341	
C. VI: Tacens de venalium defectibus.....	342	
Medicorum obligationes	343-355	
Doctrina	343-344	
Causa I: De euthanasiae lege non condenda.....	345-350	
C. II: Euthanasia directe occisiva est volita in se nec honestatur consensu aegroti vel legis civilis per- missione	351	
C. III: Sterilizatio feminea ad vitandam caesaream operationem periculosam	352	
C. IV: Narcoanalysis pro curandis morbis et detegen- da veritate	253	
C. V: Psychoanalysis pro vocatione sacerdotali reli- giosave detegenda	354	
C. VI: Medicus dubia cohibens dum conficit mortis documentum	355	

	un.
Medicorum honoraria	356-366
Doctrina	356-357
Causus I: Medicus statuens tabellam altiore, qua pauperes arcentur; praetendens compensationem potlorem pro consulto et negans percentualem appellanti; aegrotos ad privatas clinicas mittens....	358-361
C. II: Honoraria moderatus ad capacitatem aegrotorum	362
C. III: Plurimam repetens pecuniam a ditissimo.....	363
C. IV: Id. ne famam amittat.....	364
C. V: Medicum consulentes nullo profectu et magno dispendio	365
C. VI: Auxilium recusans novum quia pro veteri non remuneratus	366
Magistrorum obligationes	367-378
Doctrina	367-368
Causus I: De methodo «novae scholae», praecipue «Montessori»	369-373
C. II: Certaminum gymnicorum praeceptor.....	374
C. III: Educatio civica.....	375
C. IV: Sacerdotis magisterium in scholis mixtis.....	376
C. V: Nocivorum librorum explicatio In scholaneutra.	377
C. VI: Exterae linguae professor In schola religioni adversa	378
Diurnariorum obligationes	379-389
Doctrina	379-381
Causus I: De evulgatione Illegitimitatis puellae famosae	382-384
C. II: Divulgatio actorum tribunalium.....	385
C. III: Exploratio et evulgatio vitiorum hominum politicorum	386
C. IV: Exploratio et evulgatio malitiae privatorum...	387
C. V: Libertas concedenda catholicis diurnariis.....	388
C. VI: Praxis non vulgandi nisi crimina.....	389
Senatorum obligationes	390-400
Doctrina	390-391
Causus I: Separatio Inter Ecclesiam et Statum.....	392-395
C. II: Status an teneatur veram agnoscere religionem et an possit officialem constituere unum cultum catholicum	396
C. III: Num Ecclesia sibi contradicat petens libertatem quam Ipsa denegat.....	397

	nn.	
C. IV: Senator suffragatus legi Inlustae.....		398
C. V: Quid si votum eius supervacaneum.....		399
C. VI: Senator a suffragio abstinens.....		400
Notariorum obligationes		401-410
Doctrina		401-402
Causa I: Prolationem differensdocumenti.....		403-405
C. II: Silens de legato.....		406
C. III: Falsum scribens pretium ut tributum solven- dum minuatur		407
C. IV: Fingens mutuum utcessionembonorum vitet.		408
C. V: Omittens sollemnitates pro documenti valore necessarias		409
C. VI: Augens honoraria pro quorundam negotiis properandis		410
Index Auctorum	Pag.	303
Index alphabeticus rerum.....	Pag.	305

DE STATU RELIGIOSO

I. VOTUM PAUPERTATIS

Doctrina,

Sub voto paupertatis res veniunt temporali pretio aestimabiles; non igitur reliquiae, immo nec imagines piae, cruces, rosaria. 1

Ex iure positivo religiosis praescribitur vita communis (can. 594, § 1) et ideo peculium prohibetur—quod non repugnat paupertatis voto—. Nomine peculii venit illa pecunia quae datur vel conceditur religioso ut hic provideat sibi de victu, vestitu, etc.

Non peccat contra votum paupertatis religiosus qui gratuitam donationem sibi oblatam recusat; potest tamen peccare contra caritatem si religio, in cuius favorem cederet, laboraret inopia; et potest peccare contra oboedientiam, si superior praeceperit donationes huiusmodi acceptandas.

An peccet contra votum paupertatis religiosus recusans partem hereditatis sibi a patre, matre, etc., relinquendam, eamque suggerens ut alteri assignetur, minus constat. Puto respondendum esse affirmative quoties agatur pars hereditatis sibi debita (v. gr. legitima). Si tamen pars agatur de qua pater, mater, etc., liberum ha-

beant exercitium, quae ideo non est debita religioso, hunc non facile damnarem de peccato contra votum; nisi in testamento vel in renuntiatione professioni praevia ipsemet disposuerit et de debitis et de oblatiis.

- B Solum votum paupertatis religiosus offendit dum, quid agens contra voti naturam, non laedit tamen iura sive extraneorum sive religionis; quapropter, tum professus votorum simplicium qui, sine licentia superioris, disponit de bonis quorum dominium radicale servat; tum professus, etiam votorum sollemnium, qui, sine licentia superioris, disponit de bonis quorum usum extranei ipsi concedunt, eorum dominium retinentes.

Solam iustitiam laedit religiosus qui bona extraneorum aut destruit culpabiliter aut furatur non sibi retinenda verum monasterio adiudicanda.

Iustitiam atque votum religiosus offendit qui bona extraneorum sibi appropriât vel de his disponit absque domini et superioris beneplacito; item, si bona monasterii sibi appropriât vel de his disponit absque licentia superioris, illave culpabiliter destruit.

- S Ubi peccatum contra solam iustitiam, omnes dicunt materiam gravem quae ad gravem in genere iniustitiam requiritur et sufficit.

Ubi peccatum contra solum votum, alii gravitatem materiae petunt ex gravi iustitiae violatione, alii postulant quantitatem maiorem.

Ubi peccatum vero contra iustitiam simul atque votum: a) quoad bona extraneorum, ipsa est gravis materia quae gravis est in furto; b) quoad bona, ex adverso, religionis, illa videtur pluribus, in quibus vel Fanfani \ materia gravis quae furtibus filiorum assignatur.

- 4 Ex violatione voti paupertatis nulla obligatio restitu-

1 Fanfani, *Th. Mor.*, m, 350.

tionis oritur: illa siquidem violatio non iniustitia, at sacrilegium est.

Ex violatione attamen iustitiae obligatio restitutionis urgent. Ergo si res ablata penes religiosum adhuc perstat, is tenetur ut ipsam reddat domino. Si autem fuit consumpta, aut religiosus servat dominium bonorum radicale, et tunc adstringitur ut sive extraneum sive communitatem reddat indemnem; aut nihil habet proprium, et tunc, ob impotentiam, excusatur a restitutione pro nunc aut in perpetuum (III, 74).

Casus primus.

Lucina, quae praeest Congregationi religiosae, valde 5
angitur quoties Sorores subditae licentiam petunt vel
retinendi vel expendendi pecuniam sibi datam ab amicis,
cognatis, etc., pro libris emendis, itineribus agendis, etc.
Timet enim ne huiusmodi licentiae adversentur pauper-
tatis voto, quamvis simplici.

Quid censedum?

Solutio

Non absque fundamento Lucina nostra angitur, nam 6
pecuniae retentio videtur sapere peculium, pecuniae vero
expensio administrationem bonorum vetitam.

Attamen, prout Coronata animadvertit: «Peculium non rogat qui a Superiore impetrat facultatem utendi in certum finem, v. gr. emendi libros talis argumenti, alendi parentes, etc., fructus alicuius suae industriae. Nam vel utilitas non est propria; vel Superior, designando finem (praesentim si specialis sit facultas), censetur ipse uti subditi ministerio ad talem finem procurandum» x;

» Coronata, *Institutiones I. C.*, I, n. 605, p. 767, ed. 1928.

id quapropter nec prohibitum dixeris quando manet pecunia sub dependentia superioris et ab isto revocabilis est licentia, maxime si agitur de fine determinato, prouti in casu.

- 7 Quoad pecuniam habitam ab amicis, cognatis, etc., oportet distingamus pecuniam habitam ob Sororis laborem, industriam, etc., quae quidem pecunia pertinet ad Communitatem—pariter ac pecunia Sorori tradita intuitu Congregationis, cui, in dubio, praesumptio favet—; et pecuniam datam Sorori intuitu seu ratione personae, cuius Soror—votorum scilicet simplicium—habet dominium, non tamen dispositionem seu administrationem.

Haec altera pecunia adiungi deberet Sororis capitali sive fundo atque ab illis administrari quibus commissa fuit, prae professione, administratio—usus autem vel ususfructus in eos transit qui usum vel ususfructum capitalis habent.

- 8 Generale tamen huiusmodi principium non est nimis urgendum, tum quod ad Auctorum probatorum sententiam concedere valent superiores ut parva patrimonii pars expendatur—dummodo sufficiens fundus maneat ex quo Soror possit decenter vivere si quando e religione egrediatur—, tum quod alias practice hanc pecuniam nec Soror peteret nec amici vel cognati darent—agitur tamen de libris et itineribus utilibus, ut suppono, quae proxime aut remote in bonum Communitatis redundant—, tum, denique quod «prohibitio (can. 583, § 1) respicit solam abdicationem quae fiat titulo *gratioso*, quin abdicans recipiat aequivalens; quare titulo oneroso, v. gr. venditione, commutatione bonorum alienatio fieri potest cum sola licentia Superiorum religionis»¹.

¹ Wernz-Vidal, *Ius canonicum*, III de religiosis, n. 327, p. 316, ed. 1933. «Non est ergo vetita abdicatio bonorum titulo oneroso, sed libere, quin

Alii casus.

C. II.—Ferrutius, votorum sollemnium religiosus, insignis confecit opus scientificum; retinetne dominium manuscript!?

Sol.—Ad quaesitum: «An Religiosi tum votorum sollemnium, tum votorum simplicium, qui aliquod manuscriptum durantibus votis exaraverunt, eiusdem dominium habeant, ita ut illud donare aut quocumque titulo alienare valeant», S. Congr. de Religiosis respondit: *Negative l.* Sed aliud est manuscriptum donare et alienare, aliud vero manuscriptum servare sibi. Unde Vermeersch: «Manuscripta, quatenus penes personam retinentur, ista materia (sc. voti paupertatis) excidunt, tamquam nimis cum persona coniuncta; si vero scribens ea separare velit a sua persona, iam donatio, alienatio sine licentia ipso voto vetatur» †

venia alicuius, praeterquam Superiorum, requiratur, qualibet ratione a professis omnibus bona vendi, commutari, obligari valent. Neque etiam vetatur ita res titulo oneroso abdicare ut favor emptori vel alteri parti fiat, dummodo tamen titulus vere onerosus remaneat et fraus legis absit (venditio nummo uno)» (Larraona, Commentarium can. 583. in *Comment. pro Religiosis*, 2 [1921], p. 76).

1 AAS, 5 (1913), p. 366.

2 Vermeersch, *Th. Mor.*, III, 126, ed. 1927.—Eandem distinctionem Passerinus fecerat (De *hominum statibus*, etc., in q. 186, a. 7. n. 412 s.l: «Dicendum est religiosum non posse libros manuscriptos contractu oneroso alienare, scilicet vel eos vendere vel commutare. Ratio est, quia hoc modo libri manuscripti fiunt pretio aestimabiles et est uti illis ut pretio aestimabilibus, quod religiosus non potest facere absque licentia... Et nihilominus dicitur libros manuscriptos a proprio auctore elaboratos per se et ex natura sua non esse rem pretio aestimabilem, quatenus sunt usui proprii auctoris, quia non sunt nisi accessoria scientiae illius, quae non est pretio aestimabilis, et sunt veluti in subsidium memoriae ipsius...; ideoque religiosum ex vi voti paupertatis non prohiberi tales libros apud se retinere, nec superiores ex vi voti paupertatis posse auferre ab eo tales libros, sicut nec possunt auferre scientiam vel studium ad scientiam.»

10 C. III.—Bonfilius, religiosus, cibi atque vini cupidus, clam et frequenter esculenta et poculenta surripit e cellario communitatis. Cum tandem ad materiam perveniat quae de se sufficeret ad mortale, dicendusne contra votum paupertatis mortaliter deliquisse?

Sol.—Negative, ut plurimum, quoniam praelatus non censetur invitus quoad substantiam, sed dumtaxat quoad modum. Foret autem invitus quoad substantiam: a) si religiosus furaretur simul magnam illarum rerum quantitatem, cum monasterium tunc magnum subiret detrimentum; b) si religiosus esculenta et poculenta ordinaria furaretur quae sibi servet consummanda pro libitu; et c) si agatur de esculentis et poculentis extraordinariis, reservatis scilicet pro hospitibus, pro infirmis, immo pro sollemni recreatione communitatis—quia par non est ut propter gulam unius, honesta recreatione communitas privetur—. Ita Salmaticenses ¹

11 C. IV.—Num religiosus peccet contra votum paupertatis si sine licentia praelati recipiat ab aliquo pecunias, vel alia dona, non pro se, sed ut det aliis, puta consanguineis, vel pauperibus quibus voluerit?

Sol.—Billuart distinguit: «Religiosus peccat contra votum paupertatis si donationem in casu posito absolute acceptet, ita ut non sit in potestate dantis illam revocare, et dona seu pecunias aliter quam voluerit religiosus expendere, quamvis dantis nomine distribuat: quia sic aliquid pretio aestimabile acquirit. Non peccat autem contra votum paupertatis si dominium non acceptet, sed maneat penes dantem donata revocare et in alios usus expendere: quia sic licet pecuniae aut dona in manus religiosi tradantur, nihil tamen iuris aut domini pretio aestimabilis ipsi acquiritur, sed se habet ut alte-

¹ Salmanticenses Mor., tr. 13 de restitutione, cap. 6, nn. 56 ss.

rius internuntium seu eleemosynarium, cui dona vel pecuniae committuntur ut, dantis nomine, consanguineis vel pauperibus, quos ipse religiosus elegerit, distribuat»

C. V.—Generali fretus superiorum licentia, Caralippus sollemniter professus pecuniam a familiaribus et amicis dono habitam in res expendit non modo necessarias et superfluas, imino et illicitas. Transgrediturne pauperpatis votum? 12

Sol.—Consuetudo, quae optima est legum interpretis, licentiam superiorum ad unum usum rerum necessariorum non coarctat. Sed expensae in res prorsus inutiles et illicitas non vacant a peccato. Utrum attamen contra votum paupertatis peccet religiosus has faciens expensas a responsione pendet danda quaestioni praeviae duplici: num generalis licentia ad hos usus extendenda sit et num licentia superioris ad usus huiusmodi sit valida (cf. I, 209n).

C. VI.—Philonilla, sollemniter professa, notabilem bonorum monasterii partem destruxit aut sine licentia debita consumpsit. Quod cum referret confessario, audit se teneri ex iustitia ut compensationem faciat monasterio sive petens ab amicis donationes sive parcens sumptibus sibi, quem ad modum et ceteris, permissis e communibus bonis, sive supererogatorio vacans labori. 13

Sol.—Confessarius secutus est sententiam quorundam e Doctoribus. At iure, ni fallor, alii existimant compensationem huiusmodi extra restitutionis terminos vacare, nam et sumptus quibus illa parcat non desinunt esse monasterii et quidquid extraordinario suo labore acquireret acquireret monasterio. Quapropter potius loquerer de actu fraternae caritatis, inquantum hoc vel illo medio

i Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de statu religioso, diss. 1, art. 4.

in pristinam restituet condicionem religiosas aut pauperes in quorum commodum cessura erant bona destructa vel consumpta, quosque propterea ipsa ad maiorem egestatem adduxit; de praeclaro quoque et manifesto signo doloris intimi ob damnum illatum communitati vel pauperibus.

Huc e superioribus voluminibus Casii accedat: Religiosus vacans negotiationi (I, 209).

II. CLAUSURA PAPALIS

Doctrina.

- 14 Oportet distinguamus clausuram pro viris regularibus et clausuram pro monialibus.

I. Clausurae lex pro viris regularibus, de qua in can. 597, § 1, afficit totam domum, canonice institutam (cf. can. 497, § 1), etiamsi non formatam (cf. can. 488, n. 5), quam communitas regularis inhabitat, cum hortis atque viridariis, domui coniunctis et exclusive accesui religiosorum reservatis (can. 597, § 2). Vi huius legis prohibetur, non quidem virorum sive regularium egressus sive extraneorum ingressus—qui a Codice (can. 606) remittuntur Constitutionum cuiuslibet Ordinis praescriptis—, sed ingressus dumtaxat mulierum; mulierum, inquam, cuiusvis aetatis, generis, condicionis, sub quocumque praetextu; uxoribus exceptis eorum qui actu tenent supremum in aliquo Statu etiam Foederato principatum | ipsarumque comitibus (can. 598).

¹ Commissio Pont, pro Codicis interpretatione, 26 martil 1952 (AAS, 44 [1952], p. 496).

Hanc legem obligare sub gravi constat facile ex poena transgressoribus inflicta, quoniam: «Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata... mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas cuiuscumque aetatis introducentes vel admittentes; et praeterea religiosi introducentes vel admittentes priventur officio, si quod habeant, et voce activa ac passiva» (can. 2342),

II. Clausura papalis seu pontificia quae moniales afficit duplex hodie distinguitur, maior et minor, nempe \ 15

A) Maior viget in Monasteriis in quibus actu vota sollemnia emittuntur quaeque vitam unice contemplativam profitentur. Haec clausura vetat ingressum nedum viris sed et extraneis feminis, cuiusvis generis, conditionis, aetatis sint¹; egressum quoque, absque licentia S. Sedis prohibet monialibus (nisi vota exspiraverint, vel dimissio legitima praecesserit), immo noviciis atque postulantis (nisi definitive Monasterium relinquere intendant), et quidem praetextu quolibet, etiam ad breve

¹ Videsis S. Congr. de Religiosis Instructionem *circa monialium clausuram*, datam 25 martii 1956 (AAS, 48 [1956J, p. 512 ss.).

² Ipso iure excipiuntur: 1.° Ordinarius loci aut Superior regularis, si Monasterium ipsi subiectum sit, Delegatus ab alterutro vel a S. Sede pro canonica visitatione, ad aedes dumtaxat inspiciendas, uno saltem alerico vel religioso comite; 2.° Confessarius communitatis, vel servatis servandis, quilibet alius Sacerdos, ad ministranda infirmis sacramenta Paenitentiae, SS. Eucharistiae et Extremae Unctionis; etiam ad assistendum morientibus, immo ubi mos est—et tunc una cum ministris iuxta rubricas—, ad defunctas tumulandas; 3.° Qui supremum tenent in aliquo Statu etiam Foederato principatum, eorumque uxores cum comitatu; item Cardinales, qui unum alterumve comitem clericum vel ex familia cardenalitia laicum sibi assumere possunt; 4.° Medici, chirurgi aut aliae personae in curandis infirmis versatae, architecti, opifices, operarii et aliae huiusmodi personae quarum opera, luicio Antistitae, est Monasterio necessaria, cum approbatione saltem habituali Ordinarii loci, quae iure praesumitur dum necessitas urget nec tempus suppetit eam petendi.

tempus (can. 601), excepto, ex lure particulari, transitu legitimo in aliud Monasterium confoederatum, et exceptis, ex iure communi, casibus sequentibus: *a)* casu imminenti periculi mortis vel alius gravissimi damni¹; *b)* casu urgentis operationis chirurgicae vel alius urgentis curae medicae foris requirendae ad salvandam sanitatem; casu morbi alicuius toti communitati vere periculosi; *c)* casu quo gravis et urgens huiusmodi necessitas exurgat apud Sororem externam vel personam eius munere fungentem, quae secus debitis careret auxiliis—tunc enim Antistita per se ipsa vel per aliam Monialem, etiam cum socia, eam adire poterit²—; *d)* casu quo, praemissa declaratione Ordinarii loci, urgeat obligatio iura vel officia civilia exercendi.

- 16 Excommunicatione Apostolicae Sedi simpliciter reservata plectuntur ipso facto: clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis, condicionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes—clerici, praeterea, suspendantur per tempus pro culpae gravitate ab Ordinario definiendum—; insuper et Moniales (non noviciae vel postulantes) a clausura illegitime exeuntes, contra praescriptum can. 6013.

Haec igitur lex obligat sub gravi.

¹ Tales casus sunt: incendium, inundatio, terraemotus, labefactio aedificii seu muri minaces, incursiones aëreae, irruptio militum, Monasterii urgens requisitio ex parte auctoritatis militaris vel civilis.

² Haec pericula (a), urgentesque graves necessitates (b), (c), scripto recognoscenda sunt ab Ordinario loci, si tempus suppetat; secus, post (actum, certior idem Ordinarius fiat.

³ Can. 2342—Excommunicationi non subsunt moniales quae introducunt vel admittunt pueros vel puellas nondum doli capaces, quippe qui dici nequeunt violare ipsarum clausuram; immo, ad plurium sententiam nec qui introducunt vel admittunt impuberes septennio superiores, quod in hoc canone aliter ac in can. 601, verba «cuiuscumque aetatis» consulto omissa fuerint.

B) Minor necessario adhibenda est ubi plures Moniales et notabilis pars Monasterii habitualiter operibus apostolatus ¹ destinantur. 17

Pars Monasterii reservata operibus seu ministeriis apostolatus et sub minori clausura posita, patet tum religiosis quae legitime his operibus ac ministeriis inseruiunt, tum aliis a quibus apostolatus dirigitur.

Partem hanc Monasterii praedictis operibus additam, mulieres seu puellae vel pueri quibus eadem opera destinantur, ingredi possunt, ibique, etiam diu noctuque, iuxta naturam operum commorari; idem valet de mulieribus quae operibus necessariae sunt, ut magistrae, nosocomae, ancillae, operariae. Ad actum seu transeunter admitti possunt aliae personae peculiari vinculo cum eis devinctae ad quas opera diriguntur, v. gr., parentes seu coniuncti aut benefactores puellas seu pueros comitantes vel visitare cupientes; eosdem vel etiam alios quos oportet aut decet, iuxta naturam operis et usus locorum, invitare licebit, ad quasdam festivitates seu demonstrationes, quae dicuntur, religiosas vel scholasticas; admitti etiam debent omnes quibus iure ecclesiastico vel ordinatione civili legitime munus inspectionis cuiusvis generis demandatum est; denique, admitti possunt, ob necessitatem, medicus, operarii et alii huiusmodi viri, ex licentia etiam habituali Ordinarii loci.

Clausura minor vetat sub gravi, omnibus ac singulis eidem subiectis, egressum extra septa Monasterii; sed dispensatio concedi potest Monialibus et Sodalibus quae legitime ministeriis addictae sunt, ab ipsa quidem Antistita pro casibus in propriis Constitutionibus recognitis 18

¹ Scilicet doctrinae Christianae traditioni, instructioni religiosae, educationi puellarum et puerorum, recessibus et exercitiis mulierum, praeparationi ad primam Communionem, operibus caritatis in levamen aegrotorum, pauperum, etc.

et insuper ratione sive ipsius ministerii \ sive praeparationis ad ministeria¹, sive negotiorum, causarum quaestionumve quae ad ministeria spectant nec tuto vel convenienter apud auctoritates ecclesiasticas vel civiles sive apud officia publica seu privata per alias personas tractari et expediri possint.

Illegitime ingredienti et eos introducentes vel admittentes in partes Monasterii Communitati reservatam, excommunicationem de qua supra (16) incurrunt; in partes vero alias, severe pro culpa gravitate puniantur ab Ordinario loci ubi Monasterium adest. Moniales autem illegitime egredientes e partibus Monasterii Communitati reservatis ad alia loca intra septa tamen Monasterii, a Superiorissa vel a loci Ordinario pro culpa gravitate puniendae sunt; quod si illegitime a septis ipsis Monasterii exeant, subiacent excommunicationi Sedi Apostolicae simpliciter reservatae (ib.), vel, ex expressa concessione S. Sedis, reservatae Ordinario loci.

Casus primus.

- 19 Sollemniter professa in monasterio vitae dumtaxat contemplativae intento, Zenobia summis precibus impetravit a Superiorissa ut occasione visitationis cuiusdam consanguinae ex externa regione post annos redeuntis,

¹ Quod de facto, ut efficaciter exerceri possit, egressum exigat, ut e. g. si puellae comitandae necessario extra clausuram sunt ratione studii, sanitatis, recreationis, nec praesto adsint magistrae, oblatae, vel aliae personae quae huic officio satisfacere valeant.

² Scilicet: ad scientiam, culturam, titulos, habilitationes comparanda. indeque ad scholas, lycaea, universitates, collationes, congressus quae necessario videantur frequentanda. Si ex his nonnulla instituta adeo sint laicalia et profana ut periculum virtutibus religiosis immineat vel scandalum ex frequentatione oriri possit, semper prius Ordinarius loci consulendus est. Quovis in casu instructiones a S. Sede latae servandae sunt.

clausurae ostium pateret ut possent se invicem ad limen amplecti et deosculari. Nec fuit tamen beneficio huiusmodi contenta. Erat enim consanguinae parvulus qui a tergo matris latitabat veritus sanctimonialis oculos. Quid ipsa? Inopinato limen ostii transgressa, puerulo manus inecit et osculum fixit. Quod cum narraret confessario, ab hoc arguitur de peccato gravi. Miratur illa quod clausurae lex non admittat materiae parvitatem, egressum nempe ad modicam distantiam et brevissimum tempus.

Num recte confessarius?

Solutio

Obiective loquendo, recte prorsus.

20

Nam quantumvis pauci a gravi culpa excusent monialem illam quae toto quidem corpore et utroque pede se extra clausuram poneret per unum vel duos palmos si statim regrediatur, communior tamen sententia, quam iam S. Alphonsus probabiliorem dixerat \ non admittit in clausurae violatione parvitatem materiae, modo tota persona veniat foras—toto nempe corpore atque utroque pede—; verificatur enim monialem egredi terminos clausurae sive longe sive prope ab his recedat, sicut verum est quem transilire lineam, ipse recedat longius aut stet propinquius, cum neutro modo se intra lineam contineat. Alias, ut Ballerini-Palmieri animadvertunt, si completus seu perfectus egressus ponatur insufficiens, aliquid erit addendum ad legis mortalem violationem, puta certa intentio egredientis, quod quaestionem magis implicaret¹. Corrector insuper Pellizzarii iamiam monuit: «Licet egressus a Clausura per duos palmos tantum videatur

¹ S. Alphonsus, *Th. Mor.*, VU, 229, ed. Gaudé.

² Ballerini-Palmieri, *Opus Theol. Mor.*, IV, η. 119, ed. 1900.

esse materia parva, si materialiter consideratur, formaliter tamen sumptus, prout est oppositus praeceptis Clausurae, gravem habet oppositionem cum lege, cum sit plenus, perfectus et consumatus egressus, et maxime periculosus, si non prohibeatur sub gravi obligatione» \

Alii casus.

- 21 C. II.—In carmelitanum monasterium nuper in regione paganorum erectum. Theodomirus, ianitor, ingressum feminis non prohibet, quod cum baptismum non receperint, non subiciantur Ecclesiae legibus.

Sol.—Cum agatur quidem lex ecclesiastica, clausurae lex non urget quotquot baptismum non receperunt, immo nec baptizatos qui usu rationis carent aut septimum aetatis non expleverunt annum (can. 12). Urget attamen Superiores et alios, in quibus ianitor praecipuus, ne feminas cuiusvis generis aut condicionis in virorum regularium clausuram vel introducant vel admittant.

- 22 C. III.—Flosculus, professus monasterii, advertit in claustrum ingressas esse feminas contra iuris canonici praescripta; eas autem, nedum e claustro expellat, retinet quibus fabricae artem mirabilem aperiat.

Sol.—«Iam illegitime ingressos comitari, cum iis confabulari, non est *admittere*, sed *retinere*; qui igitur sic se gerunt, etsi illicite agant, non incurrunt in censuram». Ita Marea.

- 23 C. IV.—Utrum si sacerdoti sanctam Communionem monialibus ministranti particula consecrata in terram

i Peluzzari, *Tr. de monialibus*, p. 83. ed. 1761.

J Marc, *Inst. Mor.*, I, 1334, ed. 1927.

intra clausuram ceciderit, possit ipse sacerdos in clausuram ingredi ad sacram particulam colligendam?

Sol.— «Affirmative, quia ad sacerdotem hoc negotium proprie pertinet; proindeque cum tempus ad petendam facultatem clausuram ingrediendi desit, iure facultas praesumitur, ad tramitem can. 600, n. 4. Sed neque improbandum videtur, si loco introducendi sacerdotem in clausuram, ipsa Superiorissa vel alia monialis reverenter e terra particulam cum patena levaret, eamque sacerdoti extra clausuram manenti porrigeret». Sic Fanfani \ Alii primas partes concedunt huic alteri rationi agendi; nec horrent quod monialis, si supersit communicanda, lingua sumat particulam.

C. V.— Donatilla vota sollemnia emiserat in conventu natalis civitatis. Quondam legitime egressa est ut a medico alienigeno observaretur. Verum in patriam redeunti occurrerunt parentes, eam rogantes ne in claustrum se reciperet prae brevi apud eos commoratione. Frustra opposuit Donatillae socia licentiam claustrum exeundi datam fuisse cum onere redeundi recto tramite, quin ad alia loca divertere liceret; Donatilla voto parentum condescendit. Sed cum postea ad clausurae ianuam accederet nec videret Priorissam inter moniales, prout de more, expectantes, hanc absentiam, quam illico novit suae diversionis poenam, ita tulit acerbe ut, renuens clausuram ingredi, in paternam domum sit regressa. Ubi sic exaggararunt ipsa et mater offensionem, prout effutiebant, Priorissae, ut Donatilla decerneret manere domi et dispensationem impetrare votorum. 24

Sol.— Certo peccavit Domitilla, et quidem graviter, per notabile tempus regressum differens in clausuram, quando votis adstricta erat. Non tamen incurrit in excommu-

1 Fanfani, *Th. Mor.*, m, 369.

nicationem can. 2342, quae lata est in moniales *illegitime exeuntes*, non vero in moniales illegitime non revertentes.

- 25 C. VI.—Num si vere necessarium sit moniales operam praestare in ecclesia vel sacristia, intra clausuram non contentis, Ordinarius loci possit ex sese licentiam dare ut ad praedicta loca clausura de facto extendatur.

Sol.—Affirmative, durantibus huiusmodi necessitate et opera, dummodo circa illa loca illa omnia tunc serventur quae ad tutandam clausuram sunt praescripta. Ita in memorata (15) Instructione S. Congr. de Religiosis *.

Hunc e superioribus voluminibus Casus accedant: Clausurae violatio ob metum gravem (I, 61); Violatio clausurae num admittat materiae parvitatem (I, 302).

III. VOTUM OBOEDIENTIAE

Doctrina.

- 26 Commune obiectum oboedientiae tum virtuti tum voto unum est praeceptum superioris; virtuti quidem, cum eo differat oboedientiae virtus a ceteris quod habeat praeceptum superioris obiectum peculiare; voto pariter, quoniam quantumvis religiosus non voverit formalem oboedientiam, seu obsequi praecepto quia praecepto, vovit attamen oboedire, neque ipsa materialis oboedientia est sine praecepto intellegibilis.

Ubi superior ergo non praecipiat, non erit locus oboedientiae voto aut virtuti, nam etsi subditus exsequatur quod novit superiori gratum vel acceptum, non exsequitur

» AAS, 48 (1956). p. 514.

praeceptum superioris, multoque minus sub ratione praecepti.

Porro praeceptum superioris innotescere potest subdito expresse et tacite. Utrobique, cum praeceptum revera adsit, locus est oboedientiae voto et virtuti; et saltem in ingratis et asperis «tanto videtur oboedientia promptior quanto praeceptum expressum oboediendo (subditus) praevenit, voluntate superioris (praeceptiva, nempe) intellecta» 1. Nam «ubi res praecepta est de prosperis et alias habet adiunctum periculum salutis, sicut sunt dignitates et officia habentia curam animarum, nedum non est melius praevenire praeceptum superioris, sed melius est etiam dato praecepto semel aut bis recusare, donec cognoscatur omnimode absoluta voluntas superioris» 3.

Quoniam praeceptum aliud affirmativum—obligans ad actum ponendum—et aliud negativum—obligans ad actum omittendum—, locus est oboedientiae virtuti et voto dum religiosus subditus id agit quod iubetur, v. gr., studere, vel id omittit agere quod vetatur, v. gr., comedere extra horas pro refectioe designatas. 27

Praeceptum superioris religiosi potest quoque intelligi obligans sub culpa, gravi aut levi, et obligans solummodo sub poena. Concedunt omnes locum esse merito

1 Non est enim necesse superiorem subdito sic alloqui: lubeo ut hoc facias. A fortiori nullatenus requiritur superiorem dicere: Praecipio tibi in virtute sanctae oboedientiae, sub formali praecepto, etc., quamvis in pluribus institutis religiosis haec clausula necessario sit adhibenda ut praeceptum obliget sub gravi—propter restrictionem auctoritatis in Regula vel Constitutionibus statutam—. Satis est igitur superioris voluntatem praeceptivam patere subdito ut hic in foro conscientiae ipsi obtemperare teneatur. Patet saepius praeceptiva haec voluntas sub formulis *rogo, peto, velis* aut *facias*—prout patet famulo voluntas praeceptiva heri licet utentis perurbana formula (cf. I, 356n).

3 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 104, 2.

3 Passerini, *De hominum statibus*, etc., in q. 186, a. 8, n. 26.

virtutis oboedientiae ubi praeceptum superioris obliget sub culpa, mortali aut veniali, ad positionem vel omissionem actus: tunc etenim, abs dubio, hic poni vel omitti potest quoniam iussus vel vetitus; nec ullus negat meritum huiusmodi ubi praeceptum obliget sub culpa, licet non ad positionem vel omissionem actus, ad sustinendam attamen poenam taxatam vel taxandam: hanc siquidem subditus potest implere sive sustinere ex motivo oboedientiae. Quod ad meritum voti attinet, exigunt nonnulli praeceptum superioris obligans sub culpa gravi, praeceptum videlicet formale, prout passim dicitur¹; alii, quandiu contrarium in Constitutionibus non constet, extendunt voti meritum ad praeceptum quodcumque obligans sub culpa, quamvis levi. Sed utrum religiosus habeat meritum sive virtutis sive voti oboedientiae dum facit vel omittit id quod sibi iubetur vel vetatur tantummodo sub poena, quaestio venit proxime enodanda (46 ss.), locum cum principem obtineat in statutis Regulae.

Casus primus.

- 28 In litteris quibus Magister Generalis O. P. copiam faciebat (8 iulii 1586) Patri Banez ut typis daret *Commentaria* in Summam S. Thomae, dicitur: «Harum serie nostri auctoritate officii, eidem facultatem concedimus ut dicta scripta in lucem dare... valeat. Et ne tam glorioso operi sanctae oboedientiae meritum deesse contingat,ⁱ

ⁱ His favebat art. 135 Normarum a S Congr. Episc. et Reg. anno 1901 promulgatarum: «Vi voti tenetur (religiosus) oboedire tunc tantum cum legitimus Superior praecipit expresse in virtute sanctae oboedientiae, vel sub formali praecepto, aut verbis aequivalentibus. iuxta proprias Constitutiones» (apud WERNZ-Vidal, *Ius Canonicum*, III, de religiosis, p. 363, ed. 1933). Verum haec Norma S. Congregationis non mansit in promulgatione posteriori ad Codicem I. C. (AAS, 13 [1921], p. 312 ss.).

hoc ipsum ei praecipimus in virtute Spiritus Sancti et eiusdem sanctae oboedientiae, sub formali praecepto» x.

In litteris autem quibus Provincialis concedebat (30 aprilis 1662) Patri Thomae de Vallgornera licentiam ut committeret typis librum *Mystica Theologia* legimus: «Petitam licentiam quantum est de Nobis, aliis non praetermissis, libenter concedimus, ut cum oboedientiae merito illum praelo mandare possis» 13

Quaeritur: Num recte sermo hic fiat de oboedientiae merito.

Solutio

In primo quidem loco, affirmative. Auctori enim praecipitur, sub formali quoque praecepto, ut opus suum pervulget; quapropter operis editio potuit esse Auctori meritoria merito tum virtutis tum et voti oboedientiae, quippe qui potuit editionem dare quoniam sibi sub praecepto, etiam formali, impositam. Nam etsi ratio praecepti videatur nihil parumve intercedere in iis quae subdito placent seu respondent voluntati subditi—puta si ipse est qui licentiam librum edendi petit—, revera attamen vel excellentissima oboedientia potest in placitis salvari, si nihil propria voluntas minuatur de efficacia voluntatis imperantis, quae ideo, per se loquendo, manet causa totalis illius actus. 29

Sed in altero casu, negative. Licet enim habeatur oboedientiae meritum in petenda Provincialis licentia pro edendo libro quem sine licentia religiosus edere prohibetur (cf. can. 1386, § 1), licentia tamen concessa pro edi- 30

1 Apud Banez, *Commentaria scholastica in II-li*, in capite vol. III, editi anno 1615.

3 Apud Vallgornera, *Mystica Theologia Divi Thomae*, I, p. xxxi, ed. Berthier.

tione libri aliud est a praecepto librum evulgandi, unde et licite potuit licentiam assecutus hunc typis non committere. Opus ergo non vulgat quia iubetur; immo neque mandatum ipsi factum est opus vulgandi. Eius propterea editio non habuit meritum virtutis oboedientiae. An saltem voti meritum? Asserit Passerinus, quia religiosus, inquit, promisit librum non edere absque licentia, ergo oboedit tum petendo licentiam tum agendo non sine licentia'. Meo tamen iudicio, qui promisit opus non evulgare absque licentia, non ideo promisit illud evulgare cum licentia. Quin propterea fas sit arguere melius esse, propter meritum voti, aliquid non facere absque licentia debita, quam idipsum facere post obtentam licentiam: res etenim non ab uno pendet. Sic religiosi prohibentur e monasterio exire absque licentia, nec propterea consequitur melius esse domi manere non petendo licentiam exeundi quam impetrata licentia domum exire —cum possit quis domi manere otiosus et domum exire pro apostolico ministerio—; erit quinimmo casus in quo melius sit domi manere post habitam licentiam exeundi—si licentia data ad honestam recreationem quis non utatur ob mortificationem vel paenitentiam—. Nec oboedientia est maxima virtutum¹, nec votum est unicus vel excellentior religionis actus³, neque religio praestat super omnes virtutes \

1 Passerini, l. c., n. 22.

2 Celsiores oboedientia veniunt virtutes theologicae—caritas praecipue—, virtutes intellectuales—maxime prudentia—, religio, pietas, iustitia legalis, ipsa quoque humilitas.

3 Religio habet actus interiores, praecipuos, et actus exteriores, secundarios; illi sunt quibus damus nos—v. gr. devotio—, hi vero quibus damus vel promittimus nostra—in his postremis, votum (48 n.).

* Superior virtutibus ceteris moralibus, religio est inferior theologis.

Alii casus.

C. II.—Aegre Wigbertus fert quod pater Abbas inculcabat monachis in concione: religiosum sic oportere moveri praecepto superioris prout baculus movetur ad motionem manus. 31

Sol.—Agitur dumtaxat de analogia: superior utitur subdito, prout et baculo, ad modum instrumenti: facit per subditum id quod vult effectum. Sed instrumentum vivum differt a mortuo. «Instrumentum animatum, sicut est minister, non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, inquantum sua voluntate movet membra ad operandum»¹. Ideo subditus capax est resistentiae; si oboedit, voluntarie id agit quod superior iubet agendum; seipsum ergo scienter atque libere determinat ad cooperandum cum superiore.

C. III.—Meneleus vellet superiorem religiosum subditis explanare praeceptorum motiva seu rationes ut subditi, harum conscii, ex intimo mandata exsequantur. 32

Sol.—Oboedientia potest esse intima quamvis subditus ignoret rationem praeceptorum; sic in aedificiis construendis nullatenus opus est ut qui laborant manibus penetrent architecti consilia; sufficit eos scire hunc esse competentem, ut id agant ex animo quod singulis architectus signavit operandum. Subdito quoque religioso satis est si superiorem norit legitimum neque praeceptum praetergredi suae competentiae terminos. Aliunde, petere a superioribus rationem non vacat a periculo. Quisnam, imprimis, exitus si subditus allatis motivis non vincatur? Sed nec commune bonum, finis legis, efficaciter movet communitatis membra, quorum maior pars imper-

¹ S. Thomas, l. c., III, 64, 8. Im.

fectorum l. Hinc in Codicibus, civilibus et canonico, legislator sapienter abstinet ab explananda legis suae ratione.

- 33 C. IV.—Simon nequit patienter sustinere quem nunc habet Praelatum: hic enim postulat a subditis ut, dimissa propria opinione, eius se accommodent sententiae. Quod quidem Simon putat ab hominis auctoritate alienum, qui praecipere non valet internos actus.

Sol.—Praelatus, ut plurimum, non iubet subditum opinari ut opinatur ipse, verum subditum agere quod ipse praecipit: oboedientia non importat conformitatem intellectuum sed voluntatum. Si quando vult iuniores renuntiare propriae opinioni, hoc inde provenit quod hi aut alias non oboedirent aut peccarent imprudentia, non credentes expertis. Si id demum exigit a provectoribus, praelatus non internum assensum petit sed externam tantum conformitatem, ut exterius videlicet agant quod ipse agendum praecipit, v. gr., ut doctrinam tradant discipulis quam imponit tradendam—maxime si docendi munus ab ipsomet praelato susceperunt—. Sapienter Passerinus: «Quia potest esse quod aliqua opinio probabilis sit periculosa et occasio scandali..., possunt Praelati praecipere ut nullus subditus extrinsecus habeat eam ut probabilem. Et per hanc prohibitionem prohibetur exterior doctrina et etiam exterior practicatio, quae est quid magis quam doctrina» 2.

- 34 C. V.—Vellet Paternianus eximia facere pro animarum salute et commodo Ecclesiae; habet equidem animi

1 Lex, data communitati, intendit homines facere virtuosos per exercitium virtuosorum operum (301), sed dum homo non indiget virtute ut operetur bonum proprium, virtute tamen indiget ut operetur bonum proximi, et praecipue bonum commune quod sacrificium boni proprii exposcit.

1 *Passerinus*, l. c., a. 8. n. 334; cf. infra 264, 267, 368.

ornamenta ad opus requisita; sentit etiam in id divinam vocationem. Verum superior religiosus non dat ipsi licentiam. Ille ergo sibimet: si superior non potest praecipere opera mala, non poterit, a pari, vetare bona, maxime ea ad quae Deus vocat, nam «oportet oboedire Deo potius quam hominibus».

Sol.—Facile hac in re Paternianus fallitur proprio spiritu. Praelatus religiosus profecto nequit mala iubere opera, utpote vetita superiore lege; nec potest prohibere quaedam bona, praecepta subdito lege superiore. Potest attamen prohibere vel licentiam negare pro agendo bono quod sibi constat electioni subditi relictum. Si autem Paternianus opponit hoc opus sibi divinitus impositum, conetur excelsam hanc originem manifestare superiori, quippe qui non tenetur omni spiritui credere sed probare potius num spiritus a Deo sit (I loa. 4, 1). Si etiam post evidentiam superior obstat, Paternianus cogitet superiores esse a Deo constitutos, qui sibi adversari non potest; si ergo iubet superioribus oboediendum (Hebr. 13, 17) nec impedit superiorum oppositionem, signum adest perspicuum in consiliis divinis alium esse qui seminat et alium qui colligit (loa. 4, 37), saltem in crastinum remittendum quod hodie fieri nequit; se igitur Paternianus patientia muniat.

C. VI.—Cyrilla, iam a multis annis professa, gravio-rem nunc experitur difficultatem in oboediendo quam cum esset iunior. Ideo angitur quasi minoris esset meriti praesens eius oboedientia quam pristina.

Sol.—Ad rem Angelicus: «Opus aliquod potest esse laboriosum et difficile dupliciter. Uno modo, ex magnitudine operis. Et sic magnitudo laboris pertinet ad augmentum meriti. Et sic caritas non diminuit laborem: immo facit aggredi opera maxima; *magna enim operatur, si est*, ut Gregorius dicit in quadam homilia. Alio modo ex

defectu ipsius operantis: unicuique enim est laboriosum et difficile quod non prompta voluntate facit. Et talis labor diminuit meritum: et a caritate tollitur»¹. Porro difficultas quam seniores religiosi experiuntur in oboediendo procedit ex operis magnitudine, uti plurimum: contingit enim saepe eos habere praelatum quem habuerunt condiscipulum, novicium vel alumnum; cum plene noverint quibus laboret vitiis—parcitate ingenii aut experientiae, propensione in hos vel illos subditos, in unam vel alteram sententiam—, statim tangunt praeceptum inconsultum, arbitrarium, ineptum. Oboedientia igitur in adiunctis, nedum deminuat meritum, ipsum auget.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Monialis non obsequens desideriis abbatissae (I, 200); Religiosus vacans negotiationi (I, 206 ss.); Ex oboedientiae voto subiectio religiosi ad Rom. Pontificem (I, 208 s.); Meditatio imposita a superiore religioso (I, 334); Applicatio missae ad intentionem superioris religiosi (I, 338); Epikeia quoad Constitutiones O. P. (I, 412); Religiosus qui ob mortificationem corporis se inhabilem reddit ad religionis munera (II, 271).

IV. REGULAE ET CONSTITUTIONUM OBLIGATIO

Doctrina.

36 «Regula intellegitur norma vivendi a S. Sede approbata, ita ut sit perpetua in religione neve mutetur. In hoc sensu acceptae regulae religionum sunt perpaucae,

¹ S. Thomas, l. c., I-II, 114, 4, 2m.

e. gr. regula S. Benedicti, S. Augustini, S. Francisci, etc. Constitutiones vero seu statuta sunt normae vivendi cui-libet religioni propriae et mutatis temporibus mutabiles. Sic e. gr. Dominicani habent regulam S. Augustini (quam sequuntur aliae complures religiones), sed habent proprias constitutiones. In nonnullis religionibus non distinguitur regula a constitutionibus; immo in institutis votorum simplicium vel ipsum verbum regulae evitetur» \

In huiusmodi regulis et constitutionibus legislator sic obligat ad poenam quod excludit positive culpam (I, 379). Hoc autem statutum a Fratibus Praedicatoribus in Constitutionum prologum inductum (an. 1236), fuit temporis decursu ab aliis Institutis religiosis praefixum propriis Constitutionibus. Illis igitur adhaerentes, en celebratus textus: «Ut unitati et paci totius Ordinis provideamus, volumus et declaramus ut Regula nostra et Constitutiones nostrae ac Ordinationes Capitulorum et Praelatorum non obligent nos ad culpam, seu ad peccatum, sed tantummodo ad poenam pro transgressionibus in ipsis Constitutionibus aut Ordinationibus taxatam, vel a Praelatis taxandam. Obligant tamen ad culpam propter praeceptum vel contemptum» 1

Extra terminos, uti patet, mandatorum excludentium obligationem sub culpa sunt omnia illa quae veniunt in praedictis Constitutionibus sub nomine praecepti. 37

Quid autem Constitutiones intellegant hoc nomine, expresse dicitur: «Praeceptum autem in Regula nullum (nisi quod de natura sua est, ratione trium votorum, vel divinae aut ecclesiasticae legis) contineri volumus et declaramus. Et idem in Constitutionibus, nisi ubi ponitur poena excommunicationis, aut formaliter exprimitur per

1 Prümmer, *Man. I. Eccli.*, q. 232, ed. 1920.

2 *Constitutiones O. P.*, n. 32, § 1, ed. Gillet (1932).

verbum: Praecipimus in virtute Spiritus Sancti, vel sanctae oboedientiae; et hoc idem in Ordinationibus et Praelatorum verbis et litteris intellegi volumus» \

Obligant igitur sub culpa omnia praescripta Regulae—Constitutionum et Praelatorum—*a)* quae sunt de votorum essentia; *b)* quae sunt materia legis divinae—sive naturalis sive positivae—et legis ecclesiasticae—plures autem Constitutiones repetunt, ad litteram quoque, praescripta Codicis I. C.—; *c)* quae habent adnexam poenam excommunicationis; et *d)* quae imponuntur sub praeepto formali.

38 Cetera obligant quidem ad ponendum actum praescriptum, vel omittendum vetitum, sed obligant tantummodo sub poena.

Obligant quidem ad ponendum vel omittendum actum. Nam lex est regula seu mensura actuum humanorum, subditos movens seu impellens ad hoc illudve agendum, hoc illudve omittendum; sed Regula movet et impellit subditos ut hoc vel illud agant, hoc illudve omittant. Lex insuper, quam nonnulli dicunt a ligando², ligat sibi subiecta ut id agant potius quam aliud, hoc modo potius quam diversimode; atqui Regula ligat religiosos ad determinatas observantias et ad modum particulare seu definitum eas implendi. Denique, lex importat motionem superioris cui debet respondere motus subditi, id est subditi usus activus et passivus, nec dubium ullum quin Regula importet imperium superioris, cui oportet respondeat subditi oboedientia.

¹ *Const. O. P.*, n. 32, § II.

² S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, 90. 1.—«Id per quod inducit lex ut sibi oboediatur, est timor poenae» (ib., q 92, 2).—«Per hoc quod aliquis incipit assuefieri ad vitandum mala et ad implendum bona propter metum poenae, perducitur quandoque ad hoc quod delectabiliter et ex propria voluntate hoc faciat. Et secundum hoc, lex etiam puniendo perducit ad hoc quod homines sint boni» (ib., 4m).

Obligant autem sub poena tantum. Quoniam talis est intentio legislatoris, ad quam subditus quam oboedientiam vovet restringit: «Promitto oboedientiam... secundum Regulam B. Augustini et Institutiones Fratrum Praedicatorum» \ 39

Potest equidem inobservantia Regulae vel ordinationum Praelatorum esse peccatum, veniale atque mortale; sed hoc, aliunde. Est etenim mortale, si ex contemptu³ procedit; existit vero veniale, si ex negligentia, passione inordinata. Haec certo doctrina D. Thomae³, cui ceteri Doctores adhaeserunt.

Casus primus.

In quodam coetu religiosorum acriter disputatum est de vera et intima natura praescriptorum quae ponuntur in Regula sub unius poenae obligatione. Quidam dicebant non agi de legibus sed de consiliis; quidam admitterebant agi de legibus, de legibus tamen disiunctivis sive condicionatis, quae obligarent videlicet sub culpa aut ad ponendum actum aut alias ad poenam sustinendam; quidam, denique, agi de legibus quae obligarent sub culpa subditum ad ponendum actum et simul ius ei facerent ut secum rationabiliter dispenset. 40

Quid sentiendum?

¹ *Const. O. P.*, η. X55.

² Ex contemptu quidem perfectionis, nam licet non teneatur perfectus esse, religiosus tenetur ad perfectionem tendere. Ex contemptu Regulae quoque, quoniam se obligavit ad vivendum secundum Regulam, cui subdatur igitur. Prout Caietanus tamen animadvertit (in *II-II*, 186, 9, n. 1), hi duo contemptus se mutuo comitantur, sic ut qui contemnit perfectionem sive finem contemnat Regulam seu medium, qui vero non contemnit Regulam non contemnat ipsam perfectionem.

³ S. Thomas, l. c., *II-II*, 186, 9.

Solutio

- 41 Illa praescripta a consiliis omnino distinguuntur. Dantur enim a solis superioribus uti superioribus, dum consilia dantur quoque ab aliis, quapropter vel a superiore non quatenus tali. Etiam cum a superioribus consilia dantur, haec non obligant sub poena, quem ad modum statuta de quibus sermo *. Denique, obiectum oboedientiae praeceptum novimus (26); nisi igitur praeceptum adsit, observantia praescriptionum Regulae careret merito oboedientiae.

Neque sunt huiusmodi praescripta leges disiunctivae sive condicionales. Primo, quoniam leges huiusce generis petunt legislatorem indifferentem, aequae videlicet contentum ubi ponatur actus et ubi omissio poena expiatur; sed legislator religiosus non est contentus hac expiatione, saltem non aequae ac positione actus. Insuper, nam leges disiunctivae supponunt poenam compensare damnum quod subditus vel communitas incurrit ex omissione actus; sed damnum communitati vel religioso illatum ex inobservantia v. gr. silentii non compensatur paenitentia—quae, ad summum, compensaret scandalum—. Accedit quod disiunctiva lex dat subdito facultatem eligendi inter positionem actus et sustinentiam poenae; sed in Regula poena apponitur ad tutandam positionem actus. Denique, quod et dari potest Regula religiosa non obligans sub culpa ad poenam post omissionem actus.

1 Sic legimus: «Omnibus quoque Fratribus privata recitatio illius officii (V. Mariae V.) commendatur», et: «Fratribus a choro exemptis commendatur ut, dum possunt, officium (divinum) dicant in choro libentius quam extra» (*Const. O. P.*, nn 565, 568, § III). Horum tamen inobservantiae nullibi poena **apponitur**.

2 Sic ubi quis punitur poena levi silentium fragens, punitur poena gravi qui eius assuescit violationi (*Const. O. P.*, nn. 902, 904).

Neque agitur de legibus quae obligarent quidem sub culpa subditum ad ponendum actum et simul ius et facerent ut secum rationabiliter dispenset. Imprimis, obligatio sub culpa est, uti vidimus (39), contraria expressae legislatoris intentioni. Sed neque intellegimus quod, dum subdito fit facultas secum dispensandi, ei imponatur poena dum hac utitur facultate \ 42

Praescripta igitur Regulae, de quibus agitur, sunt verae leges obligantes ad ponendum actum praescriptum, quantumvis ad huius positionem obligent solummodo sub poena: sunt enim ordinationes rationis in bonum commune ab iis qui communitatis curam habent, promulgatae 1.

Alii casus.

C. II.—Pater Crescentius obicit quod Regulae praescripta ubi ponantur verae leges non possunt obligare ad solam poenam, nam quicumque superior, religiosus sit aut civilis, et potestatem habet divinitus acceptam—quapropter subditi tenentur ei parere coram Deo sive in conscientia sive sub peccato—et caret facultate infirmandi legis obligationem—quae venit, sine dubio, legis proprietatis. 43

1 In Codice I. C. datur v. gr. parochis facultas dispensandi fideles, pro sua prudentia, circa ieiunia Ecclesiae (can. 1245, § 1); non tamen punitur ipso facto parochus qui dispensat, quasi iam a priori uteretur facultate contra prudentiae regulas. Quomodo ergo Constitutiones conferrent subditis facultatem secum dispensandi rationabiliter et simul, priusquam subditus ipse audiatur, hic puniatur quasi irrationabiliter usus concessa facultate? Nec dicatur poenam imponi subdito ne subditus assuescat dispensationibus irrationabilibus, quoniam subditus praesumi nequit Irrationabiliter secum dispensare dum fit ipsi facultas secum dispensandi quia praesumitur ea rationabiliter usus. Ipsa, de cetero, poena qua impediretur a dispensatione irrationabili, impediretur quoque a rationabili usu dispensationis.

2 S. Thomas, l. c., I-II, 90, 4.

Sol.— Quantumcumque homo subditus teneatur oboedire superiori homini sub peccato seu in conscientia seu coram Deo—qui, faciens hominem naturaliter socialem, confert societatis praesidi potestatem iurisdictionis, saltem dominativam—, vel tunc quoque cum legislator obligat solummodo sub poena utitur potestate divinitus accepta—nemo enim licite punit nisi subditum—et subditus tenetur ad aliquid sub culpa—ad poenam, nempe, implendam, saltem ad omittendam activam resistantiam illi qui legitime poenam infert—. Sed praeter societates ad quas homo naturaliter vocatur vel quas inire adstringitur—familiam, civitatem vel Ecclesiam—, sunt aliae quoque quas libere constituit vel quibus libere se coniungit, in quibus ergo tum auctoritas superiorum tum obligationes subditorum ad normas communi pacto initas mensuratur; in his porro religiosa Institutum.

Homo pariter, etsi nequeat minuere obligationem propriam divinae legi—naturali vel positivae—aut propriam legi humanae cui ipse subditur—latae nempe a superiore sibi—, cum nulla istarum legum ab ipso pendeat; potest attamen minuere obligationem legis quam ipse fert atque posset non ferre, adeo ut, communi theologorum placito, valet obligare sub levi in materia gravi. Quamvis igitur legis proprietates obligatio, non inde sequitur omnem legem obligare sub culpa².

¹ «Religiosorum superiorum auctoritas in subditos non derivatur proxime ex lure sive naturali sive divino, sed ex promissione ipsis libere facta simul cum voto et propter votum. Vita religiosa est opus supererogationis et consilii, ac proinde religiosi non obligantur ad oboediendum suis superioribus nisi ex propria promissione, nec intendunt se subiicere praelatis suis nisi sub voto et secundum regulam» (Kane, *Utrum religiosi inobedientia duplicem malitiam habeat*, in *Angelicum*, 29 [1952], p. 192).

³ Quaestioni num legidatoris intentio valeat efficere Constitutiones religiosas obligare tantum sub poena, iamiam Humbertus de Romanis, quintus Magister Generalis O. P. responderat: «Credo quod sic, quia in mandatis et statutis maxime attenditur intentio voluntatis mandantis vel statuentis. Unde si nullo modo vult obligare quod surgat ex trans-

C. III.—Cheledonius tenet transgressionem Regulae 44
vix ac ne vix quidem contingere absque culpa.

Sol.—Cheledonius exaggerat, nam ut docet Billuart:
«Si ex honesto fine et rationabili causa (quis) regulam
transgreditur, non solum non peccat, sed facit actum
virtutis; virtutis enim est agere ex motivo honesto indif-
ferentia, qualis est in casu transgressio legis quoad sub-
stantiam, vi decreti non obligantis ad culpam» \

C. IV.—Pater Evortius petit a thelogo num, etsi Re- 45
gula non obliget per se ad culpam sed ad poenam dumta-
xat, praecepta saltem sive mandata Superioris secundum
Regulam facta obligent in conscientia.

Sol.—Respondet Fanfani: «Affirmative, saltem ex
virtute oboedientiae, vi potestatis dominativae qua qui-
libet superior post professionem supra subditos pollet.
Non enim ex eo quod Regula non obligat ad culpam, ne-
cessario sequitur, ut quidam vellent, ergo neque prae-
cepta superioris... In priori enim casu agitur de obliga-
tione fundata in lege pure positiva, cuius tenor ex mente
ipsius legislatoris est imponendi obligationem acceptan-
di in conscientia poenam, si lex transgrediatur, minime
observantiam ipsius legis; in posteriori casu agitur de
obligatione fundata in potestate dominativa superioris...
Ergo etsi Regula non obliget ad culpam, praecepta supe-
rioris secundum Regulam facta, quando sunt vera prae-
cepta, obligant in conscientia» a.

Haec attamen responsio, sit necne veritati consenta-
nea in quibusdam Congregationibus religiosis, a veritate
deviat quod attinet ad Ordinem Praedicatorum, in qua

gressione peccatum, nullo modo ex transgressionem sola incurratur pecca-
tum» (*Opera de vita regulari*, II. p. 46, ed. 1889). Quod nec D. Thomae
visum fuit arduum seu difficile (l. c., II-H, 186, 9, Im).

1 Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de statu religioso, diss. 1, art. 7.

2 Fanfani, *Th. Mor.*, III, 346.

una est vis obligatoria sive Regulae atque Constitutionum, sive Ordinationum tum Capitulorum—generalium et provincialium—tum praelatorum—Magistri Generalis, Provincialis, Priorum conventualium—, dentur hae toti Ordini, portioni Ordinis, alicui Ordinis fratri (36).

46 C. V.—Pater Germanicus, novitiorum institutioni praepositus, minus libenter audit traditam doctrinam, verens ne meritum oboedientiae, tum virtutis tum voti, nullum sit aut modicum penes religiosum servantem Regulam atque superiorum praescripta.

Sol.—Quoniam praescripta Regulae sunt vere praeceptiva, praeceptum autem venit oboedientiae formale obiectum, religiosus servans haec praescripta propterea quod praescripta, ponit actum et habet meritum virtutis oboedientiae; sicut ponit actum et habet meritum virtutis oboedientiae dum poenam exsequitur vel sustinet a superiore impositam post illorum praescriptorum inobservantiam. Ponit etiam actum et habet meritum alterius virtutis si id quod Regula iubet sit iamiam, ex obiecto, actus virtuosus; qui ergo servat ieiunium Constitutionum, ponit actum et habet meritum virtutis abstinentiae. Qui servaret, contra, ieiunium cadens sub Regulae consilio aut permissum a superioribus, hic facit actum et habet meritum abstinentiae, oboedientiae nullatenus.

47 At quid de voti merito?

Si quod Regula vel Praelatus iubet urgeat subditum sub formali praecepto (37), eius impletio, omnium quidem sententia, esset actus et haberet meritum virtutis religionis, propter votum. Ubi praeceptum formale desit, quidam concedunt voti meritum observantiae illarum praescriptionum quae urgent sub culpa veniali (27). Sed implenti Regulae, Constitutionum, Praelatorum prae-

scripta sub poena dumtaxat obligantia meritum voti est ■nullum. Primo, quoniam «ille qui profitetur regulam, non vovet servare omnia quae sunt in regula: sed vovet regularem vitam, quae essentialiter consistit in tribus (votis) praedictis» \ Insuper, quia si praescripta huiusmodi essent materia voti, vana fuisset legislatoris opera qui haec voluit non obligare sub peccato 1.

C. IV.—Sed tunc, opponit ipsemet, religiosus caret 48
voti merito per totam fere vitam, perpauca cum sint Regulae et Superiorum statuta obligantia subditum sub culpa.

Sol.—Quantumvis praescripta sive Regulae sive Praelatorum non cadant sub oboedientiae voto, non propterea religiosus privatur per totam fere vitam voti merito. Primo quod, praeter votum oboedientiae, vota emisit castitatis et paupertatis; sed praecepta castitatis, cum negativa sint, obligant semper et pro semper; et «Religiosi vi voti paupertatis valedixerunt iuri aliquid habendi tamquam proprium, aut eo utendi nisi dependenter a praescripto seu voluntate sui Praelati» 3. Neque desunt in Regula, Constitutionibus, Ordinationibus sive Capitulum sive Praelatorum crebra statuta «ratione trium votorum, vel divinae aut ecclesisticae legis» (37), obligantia igitur sub culpa, gravi aut levi. Urgent, denique, religiosos et formalia quaedam praecepta lata a legislatoribus et praelatis, quae obligant sub gravi atque per longum tempus

1 S. Thomas, l. c.

3 Omne votum obligat sub culpa (III, 345 s.).

3 Const. O. P., n. 552.

» Sic in Ordine Praedicatorum, cum quis nominatur Lector (seu professor) litteras patentes recipit cum hac clausula: «Tibi autem praecipimus in virtute Spiritus Sancti et sanctae oboedientiae, sub formali praecepto, ut dictum lectoratus officium statim humiliter acceptes, et pro posse tuo laudabiliter exerceas» (.Const. O. P., p. 362). Pari formula

Insuper. Ad amplificandum et tuendum meritum virtutis religionis satis est in memoriam revocare votum non unum esse religionis actum \ Inter observantias porro Institutorum religiosorum plures sunt actus religionis elicitii, v. gr. oratio frequens, quotidiana recitatio breviarii et auditio vel celebratio missae; sed et ceterae possunt religione imperari³.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Religiosus se in confessione accusans de inobservantia Regulae (I, 201); Votui⁷i de servanda Regula religiosa (III, 364).

V. INGRESSUS IN RELIGIONEM

Doctrina.

49 Non peccat contra iustitiam superior religionis si candidatum non admittit quem admittere, nedum potuit, decuit (7G). Non est tamen immunis a peccato contra caritatem quoties, absque ratione sufficiente, privat Institu-

conferuntur officia Prioris (p. 365), Subprioris (p. 364), Magistri Novitiorum et Studentium (p. 361), etc.

1 Actuum religionis alii sunt quibus damus nos: quoad voluntatem, *devotio*, quoad intellectum, *oratio*, quoad corpus, *adoratio*. Alii sunt quibus damus nostra: Deo quidem, si cum immutatione, *sacrificium*, si absque immutatione, *oblaciones* atque *primitiae*. De vero ministris, *decimae*. Alii sunt quibus promittimus nos aut nostra, *votum*. Alii, denique, quibus ea assumimus quae sunt Dei, *sacramenta*, scilicet, et divinum Nomen—in testimonium *iuramentum*; in provocationem, *adiuratio*; in laudem, *laus Dei*.

* «Ad religionem pertinent non solum oblaciones sacrificiorum et alia huiusmodi quae sunt religioni propria: sed etiam actus omnium virtutum, secundum quod referentur ad Dei servitium et honorem, efficiuntur actus religionis. Et secundum hoc, si aliquis totam vitam suam divino servitio deputet, tota vita sua ad religionem pertinebit» (S. Thomas, 1. c. 1, 2m).

tum professis qui forent Instituto valde utiles, vel privat candidatum prorsus dignum illis emolumentis peculiari- bus religioni, «in qua homo vivit purius, cadit rarius surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fiducius, purgatur citius, prae- miatur copiosius», prout legimus in quadam homilia S. Bernardo adscripta x.

Sed valide atque licite a superiore religionis admis- sus seu vocatus ad professionem emittendam, candidatus non tenetur vota nuncupare vi vocationis huiusmodi ecclesiasticae (ib.), utpote quae caret robore praecepti —ideo saltem quod candidatus nondum promisit oboe- dire superiori illi.

Quaestio est igitur: num teneatur vi vocationis divi- 50 nae praeviae (75).

Porro si ageretur vocatio extraordinaria (ib.), solutio tota pendet ex voluntate Dei manifesta, an sit videlicet praeceptiva, aut solummodo consulens.

At si vocatio veniat ordinaria, obligatio postulari ne- quit nisi ex capite rectae intentionis aut ex capite ido- neitatis (ib.).

Porro non oritur ex primo. Intentio enim candidati recta—ut intimius accedat vel se uniat Deo, ut imitetur vitam Christi, ut securiorem reddat salutem elongans pericula peccandi, ut paenitentiam agat de peccatis, etc.—non est nisi bonum propositum¹; propositum au- tem, licet optimum, vi obligatoria caret.

Nec descendit ex altero.

Si idoneitas namque sumitur negative, pro defectu impedimentorum, perspicuum nimis est iure habiles ad

1 S. Bernardus, *Homilia in Math.*, 13, 45; PL 184, 1131.

2 Suppono candidatum non fecisse votum intrandi religionem; quo- niam in casu teneretur voto ad probandum et ideo ad professionem emit- tendam. quandiu condicionem ingratham sibi nullam in Instituto compe- rerit (cf. 57).

ingressum religionis posse ingredi nec teneri—sicut et iure habiles ad matrimonium ineundum possunt nuptias inire, quin nubere adstringantur.

- 51 Si vero positivam idoneitatem loquimur, hanc distinguamus (76) prout antecedit aut subsequitur intentionem seu electionem deliberatam. Quae hanc intentionem sequitur nequit pollere vi obligandi qua intentio ipsamet destituitur. Idoneitas quoque praevia intentioni huiusmodi non est, ut plurimum, determinata ad statum unum seu officium (280). Casus unicus in quo liceret loqui de obligatione ob idoneitatem ad statum religiosum foret cum candidatus versaretur in impotentia practica implendi in saeculo communes Christianorum obligationes, cum nequiret extra claustra fugere occasiones proximae peccandi, cum nullam aptitudinem haberet nec acquirere posset ad alium vitae statum adeo ut eius permanentia in mundo sit atque praevideatur futura violenta. Extra casus huiusmodi, perquam raros—nam evolvuntur exercitio dispositiones etiam exiguae et quae prius toediosa erant habitus reddit grata—, si quidem opportune datur cuique consilium (281) de sectanda idoneitate praedominante—tunc enim labor affert potiore gustum atque fructum abundantiore—, nequit attamen ei praeceptum fieri, nam id quod melius est materiam consiliorum ingreditur. Hinc Codex I. C.: «Novicius potest religionem libere deserere» (can. 571, § 1). Liquet autem libertatem quae noviciis datur concedendam esse a fortiori iis qui noviciatum et praecipue postulatum nondum sunt ingressi.

Casus primus.

- 52 Quo novicios deterreat a deserenda religione, Philotheus, eorum institutioni praepositus, semel et iterum sermonem habet de obligatione sectandi vocationem.

Hanc autem inde inculcat quod Deus ab aeterno determinavit cuique hominum statum et officium in quibus ei concedet gratias ad salutem efficaces; deserere propterea statum ad quem quis est divinitus vocatus idem est ac semetipsum ponere extra salutis semitam. Adiungit quoque novicium recusantem Dei invitationem ad vitam religiosam non amplius mereri amicitiam et auxilia divina. Immo nec captu esse possibile aliquem sincere tendere, prout Christiani tenemur cuncti, ad perfectionem caritatis, una atque sponte renuntiare ingressui religionis.

Quid dicendum?

Solutio

Philotheus nimio profecto zelo ducitur, praedicans quasi doctrinam certam propriam sententiam commentitiam. 53

Deum, imprimis, determinasse cuilibet ex nobis modum vivendi extra quem non dabit homini gratias efficaces ad salutem, non est propositio per se nota nec per divinam revelationem manifesta; indiget ergo demonstratione. De reliquo voluntas Dei, cui obsequi teneamur, oportet ut nobis modo indubio innotescat et quidem sub forma praeceptiva: sed determinatio divina aeterna ad certum statum et officium non innotescit indubie cunctis, saltem praecepti instar.

Nec constat Deum recusare amicitiam et auxilia gratiae eis qui Eius invitationem ad religiosam vitam non sectantur. Deus enim non longius ab homine discedit quam hic ab Eo secedat², neque propterea dissolvit ami-

¹ Sufficit vel perfunctorie inspicere articulos editos in *Salesianum*, 15 (1953), ut res appareat tota intra terminos agi Congruismi.

^a «Deus enim non plus se avertit ab homine quam homo se avertit ab ipso» (S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 24, 10).

citiam quandiu homo letaliter non peccat. Porro quod non sectanti vocationem religiosam peccatum datur non excederet, ad communioem saltem nunc sententiam, terminos venialis. Qui ergo vocationem religiosam non sequitur privatur quidem multiplici adiutorio quo Deus dicitur viventes intra claustra, non tamen iis auxiliis quae largitur manentibus extra.

- 54 Denique sinceram perfectionis Christianae voluntatem simul stare cum spontanea renuntiatione religioso statui, exinde clare patet quod summam caritatis perfectionem attigerunt per observantiam praeceptorum plurimi qui sanctificati sunt in statu matrimoniali, in possessione divitiarum, in principatu et regno; via consiliorum, facilius quidem, nec tamen infallibilis; quantumcumque securior, non est obligatoria. Sufficit ergo ut qui non sectatur vocationem religiosam non ideo renuntiet claustro ut peccatis vacet in mundo, sed intendat in mundo vivere Christiano prorsus more

Alii casus.

- 55 C. II.—Hemiterius in eadem rigida sententia abundat quod communiter dicatur salutis expositus periculo is qui religiosae vocationi nuntium misit; immo quod, experientia teste, omnes qui religiosam vocationem amiserunt sunt effecti peiores iis qui vocationem experti fuerunt nullam.

Sol.—Illa communis aestimatio satis inde iustificari potest quod pericula sint in mundo plurima quae salutem difficiliorem reddunt, non dumtaxat vocatis in religionem sed ipsis quoque qui caruerunt vocatione religiosa.

i Alia quae pro consiliorum in genere, obligatione dantur argumenta horumque crismi videsis in vol. I, n. 190 ss.

Experientiae factum, si admittitur, hinc explicari valet quod ipsa vocationis amissio, per depravationem videlicet sive intentionis sive bonorum morum, iam venit consecarium seu sequela peccati: qui fuerat dignus effectus est indignus ob peccatum. Sed et explicari potest ideo quod quaelibet reactio transcendit facile mensuram, ob arduitatem inveniendi et tenendi rationis medium. Factum, denique, explicari valet vel exinde quod, vocationi valedicens, putet, quamvis erronee, nullam sibi subesse spem salutis, et ideo quaerat futuram iacturam compensare quaestu praesenti (II, 215n).

C. III.—Gildardus arguit, contra, a fortiori. Peccant, inquit, qui a sectanda vocatione aliquem impediunt vel avertunt; peccant quotquot superiorem religiosum movent ut deneget ingressum postulanti digno; a fortiori igitur peccat qui vocatus a Deo et a superiore religioso religionem ingredi vel profiteri renuit.

Sol.—Peccant equidem qui a sectanda vocatione aliquem impediunt vel avertunt, quoniam bonum agitur melius, saltem ipsimet; bonum insuper quod, cum suae voluntati relictum sit, oportet suae voluntati relinquatur. Peccant pariter contra caritatem erga candidatum et Institutum qui superiorem religiosum movent precibus, instantiis ut deneget ingressum candidato digno (49); immo contra iustitiam, si eum moveant minis vel mendaciis—v. gr. informationes dantes candidato adversas quem noverunt plane commendandum—, hic etenim, quamvis non habeat ius ut recipiatur, ius habet attamen ne coarctetur quoad ipsum libertas receptoris benevoli, seu ne excludatur ipse ab eorum numero quos superior admittere seu vocare libere potest. Sed hinc arguere non licet peccare candidatum qui non sectatur bonum melius optioni suae relictum (cf. I, 195-202).

57 C. IV.—Carponius, noviciorum institutioni praepositus, iis denegat recedendi in saeculum libertatem quod dum petierunt probationis tempus, professionem sint implicite polliciti ubi nullam experti fuerint recedendi causam.

Sol.—Ingressus profecto in noviciatum ordinatur ex ipsa sua natura ad probationem, probatio autem, bona fide suscepta, ad professionem, quoties probatae condiciones Instituti inveniantur gratae probanti. Quem ad modum igitur religio iure reprehenderetur a sapientibus si novicius respueret in quo nullam detegit reiiectionis causam, sic et reprehendus novicius foret qui, acceptatus ad probationem bona fide faciendam et ideo gratis (can. 570, § 1), religionem desereret in qua causam desertionis deprehendit nullam. Sed agitur hic, non obligatio imposita a vocante—Deo vel superiore religioso—, sed a novicio libere suscepta, qui petens probationis tempus pollicetur implicite professionem, ubi nullam expertus fuerit recedendi causam, et tenetur stare promissis ex fidelitate, sub veniali igitur.

58 C. V.—Rosa, a puerili aetate parentibus orbata, iam diu optat monasterium ingredi; at quominus eius voto satisfaceret fratris ac sororis egestate hucusque fuit prohibita. Nunc vero, sua opera utrique honestam artem praebuit; at timet ne eius soror quae, licet sit sui iuris, levis nihilominus atque inconstans animo est, si eius subsidio careat, periculum morum severitatem amittendi subeat. Verum, si expectat dum illa alicui nubat, timet ne aetatis vitaeque florem extra claustra transigat.

Sol.—Rosae licet abs dubio in monasterium modo se recipere: iure namque canonico (can. 542) religionem ingredi non vetatur femina cuius opera utilis est sorori etsi necessitatem gravem patienti. Sed et licite differret ingressum, eo vel maxime quod nullum timet sibi pe-

riculum peccandi vel pervertendi bonam intentionem; immo neque formidat postmodum non admitti aut futuram inhabilem religionis iugo subeundo. Dilatio igitur ad breve tempus ei consulenda foret, quoniam perdet nihil coram Deo si tantisper ingressum differat ut impediat sororis levitatem. Sed quoniam Rosa pertimescit aetatis vitaeque florem extra claustra transigere, dilatio ponitur diuturna, quapropter nocumentum magni momenti; consilium ergo ei detur ut ingrediatur sine mora —nisi malum sorori imminens tantae sit magnitudinis ut longe malum exsuperet quod Rosa sibi timet, puta si soror prae nuptiis derelicta in discrimine versetur se prostituendi, nam tunc vel ipsa eius infamia redundaret in Rosam, ubi soror meretricis cognoscatur.

C. VI.—Num a postulatu et noviciatu peccatores 59
sint excludendi?

Sol.—Negative. Observantiae namque religionis, sicut promovent ad caritatis perfectionem, auferunt quoque caritatis impedimenta et elongant occasiones peccandi. In noviciatum igitur, a fortiori in postulatum—qui non sunt dumtaxat probationis tempus, sed institutionis et formationis maxime—recipi possunt peccatores ut peccata declinent et exercentur in praeceptis X. Ipsi, de reliquo, neque Iure excluduntur (can. 542) neque spem fundatam necessario adimunt comparandi sibi idoneitatem et rectam intentionem pro professione requisitas.

1 «Consilia evangelica ad hoc dantur ut per ea homo facilius salutem consequatur; unde status saecularium periculosior esse dicitur quam religionis status. Stultum est autem dicere quod alicui qui debilior est, propter peccata quae commisit, non sit ad securiorem vitam fugiendum. Est etiam contra doctrinam philosophicam, quae docet illos qui sunt ad vitia proni in contrarium debere reflecti, sicut faciunt illi qui tortuosa lignorum dirigunt» (S. Thomas, *Quodl.*, 3, a. 13).

3 Sacra Congr. negotiis religiosorum sodalium proposita dedit (2 febr. 1961) instructionem de candidatis sedulo deligendis; eius igitur normis moderatores religiosi stare debent, longo rerum usu comprobatis.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Vovens monasterium ingredi, ad quid teneatur si dimissus (III, 361); Utrum possit religionem ingredi filius cuius parentes in gravi versantur necessitate (III, 460); Mater obstans desiderio vitae religiosae (III, 468 ss.)

f

VI. EGRESSUS E RELIGIONE

Doctrina.

60 Professorum egressus potest intellegi vel expleto votorum tempore vel votis perdurantibus. Alter illegitimus atque legitimus distinguitur, quorum ille per fugam et apostasiam, hic vero sive per dimissionem sive per indultum, tum manendi extra claustra, tum transeundi in aliam religionem.

«Professus a votis temporariis, expleto votorum tempore, libere potest religionem deserere; pariter religio ob iustas ac rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporalibus vel ab emittenda professione perpetua excludere, non tamen ratione infirmitatis, nisi certo constet eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam» (can. 637).

«Apostata a religione dicitur professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui, etsi legitime egressus, non reddit eo animo ut religiosae oboedientiae sese subtrahat» (can. 644, § 1).

Religiosus apostata a religione, praeterquam ab obligationibus regulae et votorum non absolvitur et debet sine mora ad religionem redire (can. 645, § 1), «ipso iure incurrit in excommunicationem proprio Superiori maio-

ri, vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur, reservatam, ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus suae religionis privatus» (can. 2385).

«Fugitivus est qui, sine Superiorum licentia, domum 62
religiosam deserit¹ cum animo ad religionem redeundi»
(can. 644, § 3).

Religiosus fugitivus non solvitur ab obligationibus votorum et regulae tenetur sine mora ad religionem redire (can. 645, § 1), et «ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in Religione habeat, et in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam, si sit in sacris» (can. 2386).

«Ipso facto habendi sunt tamquam legitime dimissi 63
religiosi: 1.^o Publici apostatae a fide catholica; 2.^o Religiosus qui fugam arripuerit cum muliere; aut religiosa quae cum viro; 3.^o Attendantes aut contrahentes matrimonium aut etiam vinculum, ut aiunt, civile» (can. 646, § 1).

De ceterorum dimissione eiusque effectibus, cf. cann. 647-672.

«Indultum manendi extra claustra, sive temporarium, 64
idest indultum *exclaustrationis*, sive perpetuum, idest indultum *saecularizationis*, sola Sedes Apostolica in religionibus iuris pontificii dare potest; in religionibus iuris diocesani etiam loci Ordinarius» 2.

1 «Deserit seu derelinquit domum religiosam, ut sui iuris durante discessu aliquo modo fiat. Discedens igitur e conventu per aliquod breve tempus tantum, sine consensu utique, vel etiam contra voluntatem Superioris, ad spectaculum contemplandum, ad invisendum amicum, etc., erit certo inoboediens seu violator propriarum Constitutionum, sed non fugitivus, quia non est *deserens* conventum ut *sui iuris* fiat» (Fanfani, *Th. Mor.*, HT, 381).

t Can. 638.—Ad quaesitum: «Utrum verba *loci Ordinarius*, de quibus in can. 638, designent Ordinarium loci commorationis religiosi, an Ordinarium loci domus principis», Pont. Commissio respondit (24 iul. 1939):

Quibus condicionibus teneantur qui indultum sive exclaurationis sive saecularizationis impetrarunt, cf. cann. 639-641.

Ne decipiantur tamen cum indultum postulant, prae oculis habeant nonnullas privationes quibus legislator punire voluit transeuntes e sacerdotio religioso ad sacerdotium saeculare—hic enim transitus, cum sit a statu perfectionis, non consulitur divino Spiritu, qui nos semper invitat ad perfectius—. Legimus enim: «Quilibet professus, ad saeculum regressus, licet valeat, ad normam can. 641, sacros ordines exercere, prohibetur tamen sine novo et speciali Sanctae Sedis induito: 1.º Quolibet beneficio in basilicis maioribus vel minoribus, et in ecclesiis cathedralibus; 2.º Quolibet magisterio et officio in Seminariis maioribus et minoribus seu collegiis in quibus clerici educantur, itemque in Universitatibus et Institutis, quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos; 3.º Quocumque officio vel munere in Curiis episcopalibus et in religiosis domibus sive virorum sive mulierum, etiamsi agatur de Congregationibus diocesanis» (can. 642, § 1).

65 «Religiosus nequit ad aliam religionem, etiam strictiorem, vel e monasterio sui iuris ad aliud transire sine auctoritate Apostolicae Sedis» l.

«Affirmative ad primam partem; negative ad secundam» (AAS, 31 [1939], p. 321).

1 Can. 632.—Ad quaesita: «I) Utrum moniales monasteriorum, in quibus vota dumtaxat simplicia emittuntur iuxta can. 488, n. 7, CIC et decretum S. C. de Religiosis 23 iun. 1923, e proprio ad aliud huiusmodi monasterium sui iuris et eiusdem Ordinis transire queant sola Ordinarii vel Ordinariorum auctoritate; II) Utrum eadem moniales ab Ordinario vel Ordinariis e proprio ad aliud monasterium, ut supra, de ipsarum et utriusque communitatis consensu, transferri queant saltem ad tempus, ita, ut in novo monasterio, dum ibidem commorantur, iuribus gaudere et officiis fungi valeant ut moniales de familia», S. C. de Religiosis respondit (9 nov. 19261; Ad Ium. Negative, et servetur can. 632 CIC. Ad Ium, Negative, sine praevia Apost. Sedis licentia (AAS, 18 [1926], p. 490 s.).

De effectibus indulti quoad huiusmodi transitum,
cf. cann. 633 ss. \

Casus primus.

Postquam unam religionem professus est Corebus 66
vellet transire in aliam, quod illius membra non sit fer-
vore accensi atque Regula frequenter dispensationem
subeat. Rogat ergo consilium confessarii.

Quid in re definienda oportet hunc perpendere?

Solutio

Generalis norma est: Transitus in aliam religionem 67
non debet commendari vel laudari.

Imprimis, quoniam periculosus transeunti. Hic enim
facile hallucinatur putans religionem aliam strictiorem
—ubique degunt religiosi fervidi et religiosi tepidi, et
saepe tegit nequam lata cuculla caput—; nec est tanta
differentia religionum—sed una insistit quibusdam ob-
servantiis, alia aliis—; neque continuo patet, iunioribus
praecipue, legitimae dispensationis—qua nec semper co-
guntur frui—proportionata ratio. De cetero, ea quibus
assueti sumus proclivius observamus, ideo securior fit
in suscepta religione profectus.

At periclitatur insuper pax religionis intentae: cum
enim maneant penes transeuntem mens et mores con-
formes vitae pristinae, hos ille conabitur in animum
instillare eorum ad quos se transtulit.

i Ad dubium: «Religiosus qui in quadam religione professus, obtento
indulto apostolico, ad aliam religionem transit, tenetume ad habitum
noviciorum religionis *ad quam* suscipiendum et gestandum perdurante
noviciatu in nova religione?». S. C. de Religiosis respondit (14 maii 1923):
Affirmative (AAS. 15 [1923], p. 289).

Nocet, demum, discessus religionem desertam: scandalizantur eius membra, quasi Regula tot saeculis probata habenda nunc esset insufficiens; laeditur illius nomen, ac si revera relaxata; exponitur ipsa potiori relaxationi, cum privetur melioribus, a quibus et ad austeritatem praeoptatam restitui posset. Sed nec videtur transfuga respondere receptis a religione beneficiis, cuius ubera suxit, a qua et primordia educationis habuit, quae ipsum suscepit pro prosperis et adversis.

- 68 Norma tamen exceptiones admittit. Expresse D. Thomas: «Potest tamen aliquis laudabiliter de una religione transire in aliam, triplici ex causa. Primo quidem, zelo perfectioris religionis. Quae quidem excellentia non attenditur secundum solam arctitudinem: sed principaliter secundum id ad quod religio ordinatur; secundo vero secundum discretionem observantiarum debito fini proportionatarum. Secundo, propter declinationem religionis a debita perfectione. Puta, si in aliqua religione arctiori incipient religiosi remissius vivere, laudabiliter transit aliquis ad religionem etiam minorem, si melius observetur... Tertio, propter infirmitatem vel debilitatem, ex qua interdum provenit quod non potest aliquis arctioris religionis statuta servare, posset autem servare statuta religionis laxioris»¹.

In quocumque, ut diximus (65), casu beneplacitum Sedis Apostolicae praerequiritur.

Alii casus.

- 69 C. II.—Vix primum sacrum litaverat, pater Caesidius coepit cum superioribus agere ad petendum saecularizationis indultum. Amico de recessus causa interroganti rem totam aperit: se nempe religionem ingressum fuisse

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, H-H, 189, 8.

eo dumtaxat animo ut semel ditatus sacerdotio permitteretur vivere extra claustra.

Sol.—Graviter peccavit Caesidius noster tali animo habitum suscipiens religiosum vel emittens professionem, quia in re gravi religionem susceptricem decepit. Et tenetur ei restituere expensas factas toto tempore quo fuit in ea, quia ex peccato contra iustitiam, cum damno alterius, oritur obligatio restitutionis. Sic Salmanticenses X.

C. III.—Post decennium a professione religiosa sollemni Attilius, Sopatrae amore captus, fornicationi condescendit et filium habuit. Quod dum confessario paenitens exponit, ab eo simul sententiam sciscitatur num debeat dispensationem a votis petere quod naturali iure se adstrictum putet ut cohabitans cum complice gerat curam filii sacrilegi. 70

Sol.—Negative. Quoniam officium curandi prolem, etsi sit naturale, est tamen affirmativum, obligans ergo quemlibet prout tunc invenit illum. Quantumvis igitur ignara fuisset Sopatra, fornicationis tempore, religiosae condicionis Attilii, hic non tenetur naturae iure nisi ut provideat filio secundum proprium statum religiosum. Sicut enim vir matrimonio iunctus, si forsan commisit adulterium et adulterinam prolem suscepit, non tenetur a legitima coniuge discedere ut cohabitans cum muliere complice filio adulterino provideat, ita nec religionem professus tenetur hanc deserere quod indulgens fornicationi filium sacrilegum obtinuit. Huic debet dumtaxat providere salva oboedientia atque religiosa observantia (III, 45G s.). Quin ullum tamen incumbat religioni iustitiae officium (cf. can. 536, § 3).

1 Salmanticenses Mor., tr. 15, de statu religioso, c. 5, n. 54.

71 C. IV.—Post plures annos a professione religiosa Adrio serio cogitat de petenda dispensatione a votis, cum se imparem sentiat religionis oneribus sustinendis. At confessarius eum conatur avertere a proposito, quod non vacat, asserit, a peccato, cum amissioni vocationis aequipolleat.

Sol.—Prout non necessario peccat qui concedit dispensationem, sic nec qui postulat; erunt quinimmo casus in quibus consilium sit dandum religioso de petenda dispensatione a votis. At hoc ipsum quod non se sentiat parem oneri ulterius sustinendo qui onus libenter et suscepit et quodam saltem tempore portavit, signum est idoneitatem amisisse qui prius idoneus fuerat (55). Amissio idoneitatis, ob morum corruptionem, proculdubio culpabilis; sed petitio dispensationis, idoneitate semel amissa, vacat facile a culpa.

72 C. V.—An religiosus qui saecularizationis indultum aut simplicium votorum dispensationem impetravit, possit primum aut alteram recusare cum a locali superiore eiusdem notitiam accipit, quamvis superior generalis in scriptis iam exsecutoriale decretum rescripti emisserit ad normam can. 56 CIC.

Sol.—Respondit S. Congr. de Religiosis (1 aug. 1922): «Affirmative, dummodo superiores graves rationes in contrarium non habeant, quo in casu ad S. C. referant» *.

73 C. VI.—Manilium sacerdotem, propter quasdam difficultates cum Superioribus habitas vitae religiosae taedebat. Nullum proinde non movit lapidem ut per Superiores indultum saecularizationis obtineret. Restiterunt initio Superiores. Postea tamen rem totam iudicio S. Sedis proposuerunt. Cum autem responsum tardaret, quo-

1 AAS, 14 (1922). p. 501.

dam die Manilius, novam difficultatem cum Superiore expertus et impatientia abreptus, domum reliquit sine ulla licentia, firmiter statuens se non reversurum, et apud consanguineos se recepit. Interim confitetur apud Gerardum, rogans utrum aliquid obstet quominus de more Sacrum celebret.

Sol.—Ad hunc casum Genicot: «Cum (Manilius) egressus sit cum animo non redeundi, nondum accepto saecularizationis induito, apostata dicendus. Incurrit proinde excommunicationem, saltem si conscientiam habuit se graviter delinquere et censuram quodam modo novit. Ab hac excommunicatione, ac proin a peccatis, Manilium Gerardus absolvere nequit, cum sit reservata Superiori maiori Manilii (vel Ordinario loci in quo commoratur apostata, si religio non exempta est); neque ex c. 519 haec censura absolvi potest, cum non sit iure particulari in Ordine statuta, sed iure communi; neque si Gerardus pro foro interno peculiare facultates habet, hae multum prodesse possunt—nisi forte cupiat Manilius quam primum, praemissa absolutione a censura in foro interno, absolutionem a peccatis accipere—, neque facultas c. 2254 in casi urgentiori, cum res censeatur deducta ad forum externum, et publice, ad vitandum scandalum, Manilius agere debet tamquam censuram observans. Si autem Manilius excommunicationem propter inadvertentiam huc usque non contraxit, possit interim Gerardus absolutionem a peccatis concedere et permittere, secluso scandalo, ut omnino secreto Manilius sacris operetur. Sed in omni hypothesisi, ipsi imponere debet ut quam primum rem componat cum Superioribus (secus propter contumaciam certe incurreret excommunicationem, ut apostata), vel redeundo ad claustra, vel saltem epistolam ad Superiores mittendo qua se paratum exhibeat stare ipsorum mandatis. Possit Superior

maior ipsi permittere ut, dum exspectatur indultum saecularizationis, maneat apud consanguineos; possit etiam delegare cuicumque confessario a Manilio eligendo facultatem ipsum absolvendi ab excommunicatione forte incursum»¹.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Votum castitatis observatu, ut dicitur, impossibile (III, 340); Sollemniter professa num debeat exire monasterium ut patri subveniat (III, 456 s.).

¹ Genicot, *Casus Conse.*, 553, ed. 192«.

DE OFFICIO SACERDOTALI

I. VOCATIO SACERDOTALIS

Doctrina.

Vocatio sacerdotalis seu ad sacerdotium, si verbis 74
stamus Pii XII, duplici coalescit elemento, divino et
ecclesiastico. Divino quidem, nam si Deus est principalis
auctor omnium sive naturalium sive supernaturalium
donorum, maxime habendus est auctor principalis tot
tantorumque munerum naturae et gratiae quibus can-
didatus ad sacerdotium cumuletur oportet. Ecclesiastico
quoque, cum quis sacerdotio destinetur ad ministerium
hierarchicum exercendum in Ecclesia societate visibili
et hierarchica, et ideo a moderatoribus hierarchicis, qui-
bus Ecclesiae regimen divinitus est commissum, ex aucto-
ritate comprobari, admitti et regi debeat *.

I. Vocatio ergo divina¹, etsi innotescere valeat per 75

¹ Pius XII, Const, apost. *Sedes Sapientiae*, 31 maii 1956; AAS, 48 (1956), p. 357.

³ Non est quaestio de vocatione divina activa, quae significat actum ipsius Dei; verum de vocatione divina passiva, quae huius actus divini importat perceptionem seu conscientiam penes nos homines.—De obligatione sectandi hanc vocationem, videsis supra, n. 50-57.

revelationem et signa extraordinaria, nota fit, ut plurimum, hominibus | recta intentione et idoneitate candidati ad sacerdotii munera.

Recta porro est intentio cum candidatus sacerdotium inhiat, non quidem propter gradum—ut super plebem constituatur—, nec propter honores vel divitias—quae gradum consequuntur vel possunt consequi—, sed propter unum tantum officium, ut aliis nempe prosit²: agitur enim sacramentum Ordinis, in utilitatem proximorum.

Idoneitas consistit negative in eo quod candidatus careat impedimentis quae redderent invalidam, saltem illicitam ordinationem (cf. can. 968, § 1); consistit e contra, positive in eo quod candidatus polleat illis omnibus dotibus—physicis, psychicis, intellectualibus et moralibus—sine quibus imprudenter seu temere susciperet sacerdotium, cum desit fundata spes eiusdem munera recte obeundi atque obligationes sancte servandi³.

¹ Ordinandus testificari debet: «Cum experiar ac sentiam a Deo me esse revera vocatum» (Inst. S. C. de Sacramentis, 27 dec. 1930; AAS. 23 [1931], p. 127); eius etiam parochus tenetur ut significet «quae sit publica de ipsius vocationis opinio» (ib., p. 128) et ut quaerat a probis «an aliquod de sua vocatione ad sacros Ordines possit foveri dubium, et qua ratione», immo «quae sit publica, et praesertim praestantium hominum existimatio... de eius vocatione ad sacerdotium» (ib., p. 129).

Recens prodiit Monitum S. Officii: «Improbanda est opinio eorum qui autumant praeviam institutionem psychoanalyticam omnino necessariam esse ad recipiendos Ordines Sacros, vel proprie dicta psychoanalytica examina et investigationes subeunda esse candidatis Sacerdotii et Professionis Religiosae. Quod valet etiam si agitur de exploranda aptitudine requisita ad sacerdotium vel religiosam professionem» (AAS, 53 [1961], p. 571).

³ Cf. S. Thomam, *Summa Theol.*, II-II. 185, 1.

³ Hinc Pius XI: «Qui ab disciplina obtemperatoneque plerumque abhorreat, parum sit ad pietatem proclivis, non satis laboris animarumque salutis studiosus; qui peculiari modo, ad libidinis illecebras sese pronum impertiat, neque iam diu experiendo ostenderit illius dehonestamenta effugere posse; qui denique ad disciplinarum studia haud ido-

II. Vocatio ecclesiastica est invitatio episcopi ad sacerdotium suscipiendum: «Accedant qui ordinandi sunt». Episcopus autem, si illicite vocaret non vocatum a Deo, licite potest ad ordinem non admittere quem novit et idoneum et rectissime affectum, seu a Deo vocatum; immo et prohibetur, salvo can. 969, § 2, ne saecularem ordinet qui non sit necessarius vel utilis dioecesi (ib., § 1); ideo ubi candidati plures sint quam desiderentur, potest et debet eligere inter dignos, digniores nempe invitans, ceterosque respuens. Quantacumque etenim sit candidati idoneitas et intentionis rectitudo, nemo ius habet ut ordinem recipiat antecedenter ad liberam electionem episcopi: ea namque faciunt dispositionem quidem ad ordinem, sed dispositio materiae ad formam non confert materiae ius ad formae receptionem.

Casus primus.

Geruntius, seminarii rector, vocationem divinam tenet innotescere inclinatione seu propensione, complacentia seu gustu quem experitur candidatus ad sacerdotii munera. Si enim, inquit, vocatio divina restringatur ad intentionem rectam et idoneitatem, intentio vero recta extendatur usque ad electionem deliberatam, idoneitas denique ponatur acquisita, sequeretur hoc magnum inconveniens, Deum scilicet non vocare hominem sed hominem vocare semetipsum.

Quid de illa doctrina?

neus evadat, ut portendi liceat praescriptum eorum curriculum non posse cum, satis moderatoribus facientem, perficere: hi omnes ad sacrum munus ineundum non nati aptique sunt» (enc. *Ad cath. sacerdot.*, AAS, 23 [1936], p. 40).

Solutio

78 Doctrina huiusmodi obsoleta dicenda est. Fuerunt quidem nonnulli qui conscientiam divinae vocationis in hoc uno ponebant: sicut enim nonnulli sunt naturaliter propensi versus misericordiam, sic ex dotibus tum naturae tum gratiae quidam haberent gustum vitae sacerdotalis seu tenderent sponte in sacerdotium.

Attamen vocationem sacerdotalem non consistere, saltem necessario et de lege ordinaria, in interna quadam adspiratione subiecti seu invitamentis Spiritus Sancti ad sacerdotium ineundum, constat non modo ex sententia lata a speciali Commissione Cardinalitia et approbata a S. Pio X, occasione libri can. Lahitton¹, sed ex verbis quoque Pii XI

79 Accedit quod attractio sive tendentia huiusmodi supponitur praevia subiecti deliberationi et electioni liberae, quasi vocatio passiva foret effectus unius gratiae operantis; atqui oportet insuper admittere attractionem sive tendentiam consequentem subiecti deliberationem

¹ «Conditionem, quae ex parte Ordinandi debet attendi, quaeque *Vocatio sacerdotalis* appellatur, nequaquam consistere, saltem necessario et de lege ordinaria, in Interna quadam adspiratione subiecti seu invitamentis Spiritus Sancti ad sacerdotium Ineundum» (AAS, 4 [1912], p. 485).

³ Postquam dixit diligentiam adhibendam esse a rectoribus seminariorum ut sciant quis ex alumnis «ad suscipiendum sacerdotium superno nutu advocetur», Pius XI subdidit: «Quae quidem ad sacra capessenda munia proclivis inclinatio, ut probe nostis, Venerabiles Fratres, potiusquam ex intimo conscientiae invitamento sensuumque motu, quae interdum deesse possunt, ex recta eorum propensione eruitur intentioneque mentis qui sacerdotio Inhiant, cum his corporis animique virtutum ornamentis conluncta, quae eosdem ad hoc officium amplectendum idoneos reddant. Qui ad sacrum huiusmodi institutum ea una nobilique de causa contendat, ut divino famulatu animarumque saluti se dedat, simulque et solidam pietatem et probatam vitae castimoniam, et consentaneam, ut diximus, doctrinam assecutus sit vel assequi nitatur, Is profecto, ut perspicuo patet, ad sacerdotale ministerium a Deo vocatur» (l. c., p. 40).

et electionem liberam, effectum igitur coopérants gratiae. Si enim attractio vel propensio est semper in id quod quisque percipit conveniens sibi, aliquid convenit alicui tum propter dispositiones quas ipse non elegit', tum etiam propter dispositiones a se libere electas post deliberationem etiam protractam. Quamvis enim id ad quod ducimur temperamento, caractere, usu, eligamus proclivius, non tamen necessario; quapropter et possumus eligere contrarium, si id iudicamus melius nobis, in his saltem adiunctis a.

Et inclinatio quidem consequens deliberationem, ubi contrariam inclinationem comitetur praeviam, nihil aut parum sentitur; sed actuum repetitio nata est gignere habitum, quapropter et corrumpere contrarium pristinum .

Valet ergo propensio ad sacerdotium consequi electionem ipsius subiecti; sed tunc, ut liquet, potius quam signum vocationis Dei, est effectus huius electionis, rectae intentioni paris vel germanae. Haec enim recta intentio potest venire fructus naturae protractaeque deliberationis, penes S. Camillum de Lellis puta, qui se ad studia ecclesiastica maior natu transtulit ut auctus sacerdocio abundantius consuleret proximorum necessitatibus. 80

Nec inde sequitur inconueniens quod Geruntius noster pertimescit. Agatur enim de vocatione praevia deliberationi et electioni, ideoque effectu gratiae operantis, aut

i Propter dispositiones innatas aliqui inclinantur ad misericordiam, aliqui ad Iram. Propter dispositiones acquisitas sed non ab eis electas, filii sequuntur facile patris professionem vel quod cum patre assidue conversati mores paternos imitantur, vel quod a patre professioni dicati se sensim sine sensu professioni aptarunt.

» Plures qui prius militiam oderant, eam amplexati sunt postquam Ipsam sibi amicam fecit bellum vel servitium militare.

l Sic qui a studio litterarum abhorrebant quasi duro et ingrato, Ita se litteris assuefecerunt ut nihil iam Ipsis gratius nihilve levius.

agatur de vocatione deliberationem et electionem consequente, effectu igitur cooperantis gratiae, «voluntas nostra est omnino pedissequa respectu divinae gratiae, et nullo modo praevia» quapropter Deus est qui vocat hominem, quomodocumque hic se vocatum sentiat. Sequeretur potius inconveniens in sententia contraria: si vocatio etenim divina intellegatur semper et necessario praevia deliberationi atque electioni hominis, ruit axioma, communiter admissum: *Si non fuisti vocatus, fac te vocatum s.*

Alii casus.

81 C. II.—Fiacrius, etsi prope finem studiorum theologorum, anceps manet num ad sacros ordines accedat; experitur enim tendentiam homosexualem eamque congenitam, cui nonnumquam cessit ante et post ingressum In Seminarium; notabiliter quidem se emendavit, at pergit turbari tentationibus plus minusve intensis, in quorundam maxime conspectu. Has si conatur vitare, conscius fit propriae fragilitatis; hinc sensus impotentiae, seu incapacitatis, ut dicitur, complexus.

Sol.—Fiacrius non habet necessariam illam spem fundatam de obligationibus sancte servandis ordini sa-

1 S. Thomas, in 4 *Sent.*, d. 17, q. 1, a. 2, q. 2, 2m.

3 Loquens de sacerdotum spiritualibus exercitiis, haec Pius XI: «E sacris huiusmodi secessibus id etiam profluere utilitatis quandoque potest. ut qui in *sortem Domini* non a Christo ipso adscitus, sed terrenis suis consiliis ductus venerit, *resuscitare gratiam Dei possit*; nani cum et is iam sit Christo Ecclesiaeque perpetuo vinculo addictus, facere idcirco non potest quin illud S. Bernardi non amplectatur: *Bonas fac de cetero vias tuas et studia tua et ministerium sanctum: si vitae sanctitas non praecessit, sequatur saltem*. Quae communiter a Deo datur gratia, daturque peculiari ratione sacramentum Ordinis suscipienti, haud dubie eidem, si modo reapse velit, opitulabitur non minus ad emendandum quod initio a se fuerit vitiose forte positum, quam ad sui muneris accurranda et exsequenda officia» (l. c., p. 50 s.).

cro annexis; valedicat igitur ordinibus. Ad rem cl. Visser: «Qui vehementem experiuntur propensionem sensualem, et multo magis sexualem, erga adolescentes alios eiusdem vel alterius sexus eisque indulgent (oculis, verbis, iocis, litteris, manus contrectationibus, osculis, amplexibus, etc.), neque se funditus emendant, non sunt idonei; neque illi qui veram *constitutionem* homosexualem produnt (quod non necessario sequitur ex propensione in eundem sexum, tempore v. g. pubertatis vel in collegio); tandem excludendi sunt qui tempore Seminarii actus graviter impudicos cum alio eiusdem vel diversi sexus patnaverint, nisi forte ageretur de unico quodam lapsu iuvenis secus commendabilis atque in adiunctis mitigantibus. Multo magis excludatur qui tempore Seminarii actum consummatum cum alio patrasset» \

C. III.—Episcopus dedit quasdam circa materiam castitatis normas quas servent confessarii in permittendo et prohibendo seminaristis accessu ad ordines. Pionius autem his normis stare prorsus renuit, quasi exorbitarent Praelati competentiam. 82

Sol.—Episcopus, verisimilius, normas communicavit quas a S. Congregatione de Seminariis et Universitatibus studiorum ipse receperat; hae porro normae fructus sunt experientiae diuturnae, ostendentis quandonam adsit necne spes fundata illam servandi castimoniam quam, sub sacrilegii quoque reatu, latina ecclesia exigit a clericis ordinibus maioribus initiatis. Sed et Episcopus, cuius est candidatum vocare ad ordines, potest vel iure proprio critérium, ad auctorum probatorum sententiam, statuere quod cuncti illi sequantur quibus ille in examinanda candidatorum idoneitate delegatis utitur, seminarii videlicet rector, director spiritualis, confessarii.

» Aertnys-Damen-Visser, *Th. Mor.*, II. 587.

83 C. IV.—Teneturne confessarius absolutionem denegare clerico vitio turpi habituato, qui nihilominus ad sacros Ordines ascendere velit?

Sol.—Respondet Fanfani: «Affirmative: usque dum dederit sufficiens experimentum emendationis. Ratio est quia ut quis ad sacri Ordinis dignitatem licite ascendat, praeter statum gratiae, requiritur etiam probitas vitae praecellens et habitualis; quae iuxta legem communem non statim acquiritur. Ergo ordinandus qui in vitio luxuriae (vel ebrietatis) habituatus ad Ordines ascendere vellet absque emendationis experimento, temerarie ad sacros Ordines ascenderet; atque ideo se indignum redderet ipsius absolutionis sacramentalis» \

84 C. V.—Maximianus adolescens, humaniorum studiorum curriculo paene emenso, loviniano confessori suo manifestat consilium quod ceperat ingrediendi seminarii. Sed consilium illud probare prorsus detrectavit lovinianus, quia paenitens, dum in scholis latinis inferioribus versabatur, duobus annis in peccatis turpibus solitariis inhaeserat, atque in eadem adhuc bis singulis tribus ultimis studiorum annis, relapsus erat.

Sol.—Ad hunc casum Genicot: «Errat lovinianus dum ita pium iuvenem a servitio altaris removet, nisi alias rationes in casu non expositas et rarius occurrentes habeat; adhuc gravius erraret si paenitenti denuntiaret eum sub gravi prohiberi quominus seminarium ingrediatur. Etenim, cum minime instaret sacri ordinis susceptio, sed ei praemittenda essent per quattuor vel quinque annos studia philosophica et theologica, saltem aliquod experimentum permittendum erat ei qui aliunde recta intentione ductus videatur (ut supponimus); si enim iam magna ex parte se ipsum emendavit, dum huma-

1 Fanfani, *Th. Mor.*, IV, 482.

nioribus studebat, adeo ut non iam consuetudinarius dici debeat, magna spes est fore ut se plenius emendet dum studiis altioribus vacabit, vocationis clericalis stimulo excitatus. Quod si forte in pristinas vel peiores culpas crebro relaberetur Maximianus (quod tamen verisimilius non contingent), poterit sine magno incommodo a confessario quem habebit iuberi ut ad saeculum redeat» \

C. VI.—Desiderius, vocationum, ut dicitur, promotor 85 in dioecesi, ardenti quidem desiderio flagrat numerum augendi sacrorum ministrorum; non semel tamen dubitat quos adolescentes vel pueros inducat et adducat in seminarium: timet enim ne quidam moveantur ob terrena, quae captanda prospiciunt, emolumenta.

Sol.—Animadvertat, imprimis, Desiderius, ea quae sacrae ordinationi praevia requiruntur non esse petenda prae ingressu in seminarium; sicut enim idoneitas quoad scientiam obtinebitur studiorum ecclesiasticorum decursu, sic et idoneitas quoad mores longo illo tempore vel acquirenda est vel perficienda; ipsamet intentio, prae ingressu in seminarium minus recta, poterit in seminario rectificari. Ab adolescentibus et pueris igitur quos habet inducere et adducere, id unum Desiderius postulet, idoneitatem nempe sibi in seminario capessendi illa omnia quae veniunt sub bonitate vitae, recta intentione, scientia, a sacerdotibus requisitis iure divino et ecclesiastico. Invitet quapropter et admittat quotquot comperit habere gratiae atque naturae dona unde sperare liceat et rectam intentionem et intellectualem ac moralem idoneitatem prae ordinis susceptione necessarias 2.

i Genicot, *Casus Conse.*, 488, ed. 1928

a «A boy of twelve cannot be expected to have that knowledge of the priesthood that would enable him to form a rational judgement about

II. NEGOTIATIO VETITA

Doctrina.

86 Negotiationum alia est oeconomica, alia politica, alia artificialis et alia lucrativa. In oeconomica vel simplici venduntur aut fructus ex proprio agro collecti, vel ea quae supersunt ex emptis, abundanter licet (ut tutius consulatur), in proprium commodum, vel ea quae in proprium usum empti praesens occasio lucri consulit alienanda (v. gr. quia res empti crescit pretio, ut ematur alia loco ipsius). In negotiatione politica res emuntur et venduntur, non proprio nomine, sed cuiusdam societatis nomine atque commodo, v. gr. pro civitate vel exercitu. Negotiatio artificialis seu industrialis adest cum res minori emitur ut mutata seu transformata, per artem vel industriam, vendatur carius. Locus est, contra, negotiationi lucrativae seu quaestuosae, quae et mercatura dicitur, cum res minori emitur ea intentione ut postea sine immutatione carius vendatur. Sub hac postrema negotiatione continetur, instar speciei, negotiatio argentaria, qua scilicet pecunia emitur minori ut maiori vendatur postea.

his taking upon himself the obligations of the priesthood. Let him go to the seminary, where he will learn more about it and be better able to judge» (Wirth, *The traditional idea of sacerdotal vocation*, in *The [American] Ecclesiastical Rev.*, 1912, 2, p. 522).

1 «Supponit ergo, momento emptionis, existentem intentionem res non mutandi, sed carius vendendi; et intentionem quae sit causa emptionis» (Vermeersch, *Th. Mor.*, III, 21, ed. 1927).—«Quattuor... requiruntur: (a) rem emere; (b) rem emere ut revendatur; nam si rem emo ut eadem fruar, non negotior; quamvis postea, immo eodem die, mutata sententia, eam revendam, v. g. quia inexpectatam nactus sum occasionem; (c) et sub eadem forma revendatur...; (d) ut carius revendatur: nam si eodem fere pretio revendatur, ita ut lucrum non percipiatur. non est proprie negotiatio» (Tanqueray, *Synops. Th. Mor.*, III, 1017, ed. 1931).

Nec clericis nec religiosis prohibetur negotiatio oeconomica vel simplex, neque negotiatio artificialis seu industrialis, saltem si res mutantur vel transformantur per artem seu industriam propriam. Communiter tamen vetatur negotiatio politica, quae ipsos et curis saecularibus et periculis administrationis nimis implicaret (can. 139, §3; cf. can. 592); quaeque propterea non eis permittitur nisi in casibus exceptis, videlicet si urgens causa pietatis vel caritatis aliud suadeat

Specialiter autem clericis et religiosis interdicitur 87 negotiatio sive lucrativa in genere sive argentaria in specie, quamvis neutra de se habenda sit illicita (I. 23), cum pretium iustum quo res et emuntur et venduntur (valor etiam pecuniae) non sit unum et idem sive in diversis locis sive diverso tempore, immo in eodem loco atque tempore non consistat in indivisibili, distinguitur enim pretium iustum summum—ultra quod reputaretur pretium nimium—, pretium infimum—infra quod haberetur pretium insufficiens—et pretium medium—inter summum infimumque, nempe 3.

Haec prohibitio, expressa iam in Codice I. C. quoad clericos (can. 142) et religiosos (can. 592) roborata fuit decreto S. Congr. Concilii d. 22 martii 1950 3, quo et ex-

1 Ut haec urgens causa constet authentice, requiritur Ordinarii licentia, quae vim declarationis habet potius quam dispensationis (WERNZ·VIDAL, *Ius Canon.*, II. 128. ed. 1923).

2 «Quanta sit distantia inter summum et infimum pretium, non potest regula una determinari, sed hoc pendet a multis circumstantiis, praesertim vero ex penuria mercis et ex multitudine eumentium. Generatim autem dici potest pretium summum alicuius rei id supra quod nullus probus mercator venderet illam; pretium vero infimum, illud infra quod nullus probus emptor emeret. Saltem ille excessus in pretio qui permittit rescissionem contractus iuxta leges civiles, debet etiam in foro conscientiae considerari tamquam excessus supra pretium summum» (PRÜMMER, *Th. Mor.*, H. 297, ed. 1928).

3 «Quo firmior et magis uniformis ecclesiastica disciplina hac de re habeatur atque abusus praecaveantur, SS. mus Dominus Noster Pius Pp. XII statuere dignatus est ut Clerici et Religiosi omnes ritus latinl,

tenditur ad sodales Institutorum saecularium et munitur poena excommunicationis latae sententiae S. Sedi speciali modo reservatae, etsi agatur de negotiatione argentaria, de negotiatione per alios², de negotiatione in alienam utilitatem.

Quoniam attamen sermo est de *exercitio* negotiationis, ad incurrendam poenam requiritur actuum multiplicatio moraliter unitorum per intentionem eos repetendi. Verum poena potest multiplicari, si prior nempe habitus fuerit interruptus (sive voluntarie, sive per sententiam

de quibus in cann. 487-681, ne exceptis quidem recentium Institutorum saecularium sodalibus, per se vel per alios, mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis, etiam argentariam, exercentes, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, contra praescriptum can. 142, utpote huius criminis rei, excommunicationem latae sententiae Apostolicae Sedi speciali modo reservatam incurrant et, si casus ferat, degradationis quoque poena plectantur. Superiores vero qui eadem delicta, pro munere suo ac facultate, non Impediverint, destituendi sunt ab officio et inhabiles declarandi sunt ad quodlibet regiminis et administrationis munus. Pro omnibus denique, quorum dolo vel culpa patrata facinora tribuenda sint, firma semper manet obligatio reparandi damna illata» (AAS, 42, [19501, p. 330 s.).

«Decretum non agit nisi de negotiatione contra praescriptum can. 142. Unde, quamvis primo obtutu videretur prohibitionem *gravem* extendere ad casus sub illo canone non comprehensos, tamen videtur comprehendere tantum illam negotiationem et mercaturam, quae secundum communem Interpretationem can. 142 clericis est prohibita. Saltem excommunicationem *latae sententiae* non Incurrent nisi illi, qui *hanc* negotiationem *exerceant*. Nam decretum illam prohibitionem *non mutat*, sed tantum *severioribus poenis sancit*» (Ferreres-Mondria, *Th. Mor.*, II, 1169, ed. 1953).

1 Urget igitur prohibitio sub gravi (cf. I, 293). Ad quorundam tamen sententiam «leviter tantum peccare videtur qui bis vel ter negotletur in parva quantitate, aut semel in quantitate etiam magna» (Ferreres, *Th. Mor.*, II, 116, ed. 1932); Immo qui in quantitate licet magna negotiatur semel aut iterum aut vicibus etiam pluribus verum moraliter separatis, quae proposito scilicet non uniantur (Vermeersch, l. c., n. 24).

2 «Tunc per alios negotiationem clericus vere exercet, cum eius mandato personali res geritur, vel quando in solidum, tamquam socius infinite obligatus, omnibus debitis gravatur» (Vermeersch, l. c., n. 22).

condemnatoriam vel monitionem canonicam) et iterum fuerit reprecinatus \

Casus primus.

Evagrius, oeconomus provincialis alicuius Congregationis religiosae, etiam post decretum S. C. Concilii diei 1 maii 1950 pergit in actionibus societatum industrialium vendendis et emendis, non prohibitam retinens negotiationem cambiariam. Pergit insuper adhuc vendere cum immodico lucro obiecta religiosa prope Sanctuarium cui-dam Communitati suae religionis adnexum, quia lucrum necessarium reputat ad dandam communitati et ideo Sanctuario independentiam oeconomicam. 88

Apollonio sacerdoti saeculari, qui ante praedictum decretum S. C. Concilii domum rusticationis gerebat, a qua non parum lucrum habebat, suggerit ut administrationem apparenter remittat propriis consanguineis, quibus ipse consilio adsistat, et ita poenas comminatas; evadat.

Occasione spiritualium exercitiorum scrupulis exagitat, ad confessarium pergit ad consilium petendum et ut, si opus fuerit, suae conscientiae provideat.

Quid confessarius?

Solutio

Procedamus per partes. 89

1.º) Quoad negotiationem cambiariam.

Hodie certum est licere clericis atque religiosis emere, non modo titulos Status, sed obligationes immo et actio-

1 Abellân, *De vetita clericis et religiosis negotiatione*, in *Periodica*, 39 (1950), p. 261.

nes societatum sive commercialium sive industrialium De obligationibus nulla est controversia. De actionibus autem cl. Beste: «Opinio theoretice probabilior, practice certa et iuri moderno conformior, clericos actiones comparare sinit indiscriminatim, sive agatur de societate constituta sive constituenda, industrial! vel commerciali, modo servantur cautelae a S. Sede exigui solitae» 2.

Nec ullus negat clericis vel religiosis facultatem obligationes et actiones emptas vendendi carius, oblata nempe opportunitate favorabili, ut pecunias inde reportatas collocent v. gr. in aliis obligationibus et actionibus magis vel fructiferis vel tutis.

1 «*Actiones* in huiusmodi societatibus sunt tituli (sive papyri signatae signo societatis) repraesentantes ius ad partem aliquotam capitalis socialis et. consequenter, ad participandum pro rata in beneficiis seu lucris ipsius societatis. Quia vero haec lucra vel beneficia ab exitu rei pendent quam sibi societas proponit, aliquando maiora, aliquando minora vel nulla sunt, atque inde est etiam quod dicta participatio (dividendum appellant) nullos habeat per se definitos limites.

Obligationes vero sunt tituli (seu papyri signatae signo societatis) repraesentantes creditum contra societatem, seu pecuniam ipsi societati mutuata, iusque conferunt ad lucrum certum et determinatum a societate percipiendum, v. gr. 4 % pecuniae mutuatae.

Per actiones societatis constituitur, qui eas possidet, *socius* sive membrum illius; per obligationes vero, illius fit tantum *creditor*, non socius.

Res clarescet exemplo: Societas instituenda est ad aggrediendum opus, v. gr. viam ferream, ad quod requiri existimatur mille millium francorum. Emittuntur e. gr. mille actiones, quarum unaquaeque datur ei qui mille francos suppeditat: sic capitale sociale colligitur. Postea apparet adunatum capitale insufficiens esse ad rem perficiendam et requiri praeterea centum millia francorum; socii nolunt novas actiones emittere novosque adsciscere socios. Igitur emittuntur e. gr. ducentae obligationes, quarum unaquaeque ei acquiritur qui 500 francos mutuo suppeditat. Singulis annis solvet societas iis creditoribus v. gr. 4 vel 5 (Ferrerres, l. c., 117).

3 Beste. *Introductio in Codicem*, p. 195, cit. a cl. Felici, qui subdit: «Inter quas cautelas est ut de societate honesta agatur; ne clericus munus directivum vel administrativum in ea habeat; ut actiones acquirantur de pecunia propria, non mutuata; ne denique eae acquirantur animo eas in foro argentario dein carius vendendi, more aliorum negotiatorum, igitur animo negotiandi» (Palazzini, *Casus Conse, de censuris*, p. 109 s., ed 1956).

Si nihil aliud Evagrius noster fecerat, non esset, uti patet, carpendus.

Sed quoniam pro eius ratione agendi affertur excusatio, ipsum nempe non retinuisse cambiariam negotiationem vetitam, sequitur Evagrium actiones societatum industrialium emisse animo negotiandi sive carius vendendi, exercuisse, aliis verbis, negotiationem huiusmodi. 90

Hanc autem venire clericis ac religiosis vetitam modo expresso in Decreto citato nemo Doctorum ambigit: valor enim pecuniae acquisitivus unus et idem est, conflatur ipsamet metallo aut valida signetur in papyro sive charta a Statu, domu bancaria. societate industrial! vel commerciali, fideiussore.

Nec Evagrius propterea culpa eximitur quod negotiationem cambiariam exercuerit in profectum suae Congregationis, ut supponitur; illa enim negotiatio prohibetur *in utilitatem -propriam aut alienam*.

An saltem excusetur a lata excommunicatione propter ignorantiam—retinens negotiationem cambiariam non esse vetitam—, res tota pendet ab huius ignorantiae qualitate: non excusatur, si ignorantia fuit affectata aut crassa vel supina; excusatur si ignorantia simplex, quantumvis gravis (I, 74).

2.º) Quoad venditionem obiectorum religiosorum. 91

Licite agit «oeconomus Collegii qui alumnis suppellectilem scholarem procurat. Hic casus, consuetudine quadam licitus declaratur, modo negotiatio stricte dicta vitetur, et lucrum habendum tantum sit ut compensentur expensae emptionis, labor, periculum damni e rebus non venditis et etiam fenus pecuniae quo emptae sunt. Sub iisdem condicionibus licitus haberi potest usus vendendi obiecta devotionalia, maxime in locis peregrinationis et ad ingressum ecclesiae» 1.

1 Abellan, l. c., p. 251.

Sed quoniam Evagrius obiecta religiosa vendit *cum immodico lucro*, carpendus est certo de iniustitia, etsi non de negotiatione iure canonico prohibita; lucrum enim immodicum est lucrum iniustum. Nec actus legitimatur intentione, dandi nempe communitati et sanctuario independentiam oeconomicam, quoniam finis et alias aperuimus (I, 128), non iustificat media ‘.

92 3.º) Quoad gestionem domus rusticationis.

Cum tota suggestionis ratio eo spectet ut remittens consanguineis administrationem Antonius vitet poenas in praedicto Decreto comminatas, quaestio est an medium illud sit aptum aut ineptum.

Esset equidem medium aptum si administrationem domus Antonius *vere* relinqueret, ita ut lucrum non sibi sed consanguineis cedat, hos etsi consilio adiuvet. Est autem medium ineptum si administrationem relinquat dumtaxat *apparenter*, prouti in casu, sic nempe ut lucrum cedat sibi, nam in praefato Decreto excommunicatione plectuntur qui negotiationem vetitam exercent *per se vel per alios*.

93 Confessarius corrigat ergo Evagrii falsam opinionem duplicem, eumque excitet ut, dolens de praeterito, negotiationi penitus valedicat: agitur enim lex canonica quam Pius XII urgere voluit supradicto Decreto; sed et officium agitur sacerdotali muneri indecorum. Verbis enim Angelici: «Clerici non solum debent abstinere ab his quae sunt secundum se mala, sed etiam ab his quae habent speciem mali. Quod in negotiatione contingit, tum propter hoc quod est ordinata ad lucrum terrenum, cuius clerici debent esse contemptores; tum etiam propter

i «Ad procurandam independentiam oeconomicam Evagrius ad alia media recurrat, vel saltem impetret licentiam S. Sedis, quae praescribet cautelas adhibendas ne religiosi mercatores videantur, e templo elciendi» (FELICI, l. c., p. 112).

frequentia negotiationum vitia, quia *difficulter exiit negotiator a peccatis labiorum*, ut dicitur *Eccli. 26 [28]*» *.

Quod si Evagrius fortasse opponat se ductum fuisse zelo Congregationis, communitatis vel sanctuarii, confessarius respondeat Supremam Congregationem S. Officii damnasse nonnullos missionarios qui, ut evangelium praedicarent in regione cui ingressus lege civili prohibebatur exteris nisi ex causa negotiationis, se negotiatores proclamaverunt et quasdam officinas huc illucque aperuerunt ad merces servandas et vendendas, quo ab indigenis negotiatores crederentur³; si istorum zelus indiscretus fuit, Evagrii zelus multo magis.

Urgeat, denique, confessarius restitutionem lucri illius immodici quod Evagrius ex venditione obiectorum religiosorum habuit; cum enim pergat oeconomatum provinciae gerere, facile erit ipsi pretio medio et infimo similia obiecta vendere emptoribus futuris, in quibus plures ex iam defraudatis praesumuntur.

Alii casus.

C. II.— Alias cum providere nequeat suis atque familiae necessitatibus, Fuscus, qui exigui pagi paroeciam regit, negotiationi vacat, nam Ecclesiae praecepta, sive affirmativa sive negativa, non obligant, inquit, cum gravi incommodo. 94

Sol.— Non desunt Auctores qui id Fusculo permittunt cum agitur de obtinendis necessariis vitae ipsius; si tamen agitur de necessariis vel status sui vel vitae suae familiae (cf. II, 317), quidam licentiam, quidam declarationem postulant legitimam de causae gravitate. Ad plurius doctrinam, nobis probabiliorem (cf. I, 405), indiget

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 77, 4, 3m.

3 S. C. de Prop. Fide, 4 febr. 1860 (*Collectanea* eiusdem, I, p. 645 s., ed. 1907).

Fusculus in quocumque casu licentia sive S. C. Concilii intra Italiam, sive Episcopi extra.

- 95 C. III.—Parochus Synesius hereditate accepit commerciale institutum; poteritne id ipsemet dirigere?

Sol.—Respondent Aertnys-Damen: «Quando negotia laicorum ad Clericos devolvuntur, sive iure hereditario sive quocumque alio titulo, statim sunt dimittenda, etiamsi coniunctim cum aliis bonis, aut alieno nomine per coheredes ipsius vel socios laicos negotium exercentur. Quodsi dimitti nequeant sine gravi detrimento, permittitur continuatio ad breve tempus, per interpositam laici personam, ac de licentia Ordinarii extra Italiam, S. C. Concilii intra Italiam» \

- 96 C. IV.—Eucharius, clericus, emit plura minori pretio ut ipsa vendat carius; estne continuo de negotiatione vetita carpendus?

Sol.—Cum distinctione. Negative, si minus pretium fuit ab Euchario postulatum intuitu, ut dicitur, personae; tunc enim lucrum venditionem consequens aequipollet partiali primi venditoris donationi. Affirmative, contra, si minus pretium inde habitum est quod Eucharius emit acervatim ut minutim vendat: hoc est etenim omnibus negotiatoribus commune. Sic Regatillo

- 97 C. V.—Rigobertus sacerdos quandoque, ubi librum clero utilem alicubi editum esse novit, ab ipso editore emit eum exemplarium numerum quem collegis suis se venditum esse sperat. Quae exemplaria cum emat minore pretio, quo scii, bibliopolis vendi solent, vendatque maiore pretio, quo nempe singularia exemplaria venalia prostant, lucrum non spernendum facit. Similiter sat

i Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 1138, ed. 1939.

' Regatillo, *Casos Canônicos*, I. 92, ed. 1957.

multam pecuniam lucratur emptis magna copia piis imaginibus et libellis, quae postea minutim, aucto paululum pretio, scholis, patrociniis aliisque catholicis institutis vendit.

Sol.—Ad hunc casum Genicot: «Rigobertum a violata lege ecclesiastica immunem probabiliter censemus, modo valde seria ratio boni communis has emptiones et venditiones cohonestet. Haec enim si adfuerit, eius actio potius censenda erit obsequium clero bonisque operibus praestitum quam prohibita negotiatio: carebit enim illo caractere qui negotiationi intrinsecus est, ut principaliter procuretur utilitas negotiantis. Quare lucrum quod facit Rigobertus praeter compensationes expensarum licitam, censendum erit per accidens coniunctum servitio quod plurimis praestat. Iam vero, in casu, facile aderit huius modi ratio cohonestans. Nam, licet Rigobertus singula exemplaria vel minorem copiam imaginum vendat eo pretio quo vulgo vendi solent, eius opera utilis esse potest ad spargendos pios libros et libellos vel imagines, praesertim in iis locis quorum incolae rarius et difficilius commercium cum bibliopolis vel editoribus gerunt. Multi enim sunt qui res illas empturi sint si a viro noto offerantur, nullatenus vero si ad eas obtinendas ad locum dissitum scribere necesse sit. At si nulla huius modi ratione communis boni cohonestaretur Rigoberti praxis, haec censenda esset legibus ecclesiasticis prohibita, nisi in casu particulari aliter iudicaret Ordinarius» l.

C. VI.—Utrum sodalibus Institutorum saecularium 98 negotatio vel mercatura prohibeatur in quantum sodales, vel absolute etiam ut privatae veniunt personae?

Sol.—Ad hoc dubium Fanfani: «In quantum sodales prohibitio intellegenda esse videtur: ita scilicet ut neque

» Genicot, *Casus Conse.*, 500, ed. 1928.

nomine Instituti, neque in favorem Instituti negotiationem licite exercere valeant; bene quidem hoc facere possint ut personae privatae in saeculo viventes, ac si nullius Instituti saecularis fuissent membra. Hoc enim ipso quod, etiam post ingressum in aliquod Institutum, sodalibus horum Institutorum a Constitutionibus permittitur, ut supponitur, propriam artem vel professionem exercere, sicut antea; insuper, cum per seipsos ipsi sibi ad vitam quotidianam necessaria providere debeant, videtur prohibitionem de qua supra (S7) esse necessario intelligendam de casibus tantum in quibus membra Institutorum saecularium ut sodales agunt; minime quando agunt ut privatae personae ac si sodales non fuissent» \

Huc e superioribus voluminibus Casus accedat: Religiosus vacans negotiationi (I, 206 ss.).

III. SACERDOS MATRIMONIUM ATTENTANS

Doctrina.

- 99 Nullitas huiusmodi matrimonii satis constat: matrimonii quidem canonici, nam «invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti» (can. 1072); matrimonii civilis quoque, «cum nemo ex catholicis ignoret aut ignorare possit, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris praeter sacramentum

coniunctionem, cuiuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum» (Denz. 1640).

Sacerdos matrimonium attentans fit irregularis Sic 100
in can. 985: «Sunt irregulares ex delicto... 3.º Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporaneis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta.» Ab incurranda autem irregularitate ignorantia nullatenus excusat (can. 988).

Sacerdos insuper, pariter atque femina quacum attentat matrimonium, plectitur excommunicatione latae sententiae. Ita in can. 2388, §1: «Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civile tantum contrahere praesumentes, incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam». Ubi *contrahere* matrimonium illi dicuntur qui consensum dant matrimonialem ex utraque parte verum¹ et naturali iure sufficientem; quantumvis, ob impedimentum ecclesiasticum vel civile, religiosum vel civile matrimonium irritum sit et nullum. Sed quoniam poena fertur in *praesumentes*, quaelibet imputabilitatis imminutio, ex parte sive intellectus sive voluntatis, eximit ab hac poena (can. 2229, § 2), ideoque ignorantia, non quidem affectata, verum crassa atque supina, iuris aut facti; metus gravis quoque (cf. I, 51, 74).

¹ Sacerdos religiosus ipso quoque facto habendus est tamquam legitime dimissus (63).

* «Non omnes conveniunt quod attinet ad consensum simulatum, aliis opinantibus delictum consummari etiam simulato consensu, aliis id negantibus et consequenter docentibus in censuram non incidi si alterutrius consensus sit simulatus» (Palazzini, *Casus Conse, de censuris*. p. 116, ed. 1956).

101 Dispensatio ab irregularitate est danda ad normas Codicis. Item absolutio ab excommunicatione, extra casum quo sacerdos qui matrimonium attentavit nequeat iam complicem dimittere vel ab ea discedere. Hoc enim in casu standum est Decreto quod de mandato Pii XI dedit S. Paenitentiarum, d. 18 aprilis 1936, in quo legimus: «Absolutio ab ea (excommunicatione) in casu supra exposito et consequens supplicantis admissio ad sacramenta more laicorum suscipienda, ab ipsa tantum Sacra Paenitentiarum Apostolica, servata speciali procedendi forma et sub peculiaribus quibusdam cautelis et condicionibus ab eadem Sanctitate Sua patefactis ac praescriptis, concedi possint; et si forte concedantur ab aliquo sacerdote in periculo mortis, maneat obligatio ad ipsam Sacram Paenitentiarum recurrenti, ut praescribitur canone 2252 pro censuris a iure Sanctae Sedi specialissimo modo reservatis» *. Ad omnem dubitationem auferendam, declaratum fuit postea: «Absolutionem a censura, de qua supra, ita esse S. Paenitentiarum reservatam ut nemo unquam, excepto casu periculi mortis, ab ea absolvere possit, non obstante qualibet facultate, sive per can. 2254, § 1, sive per privilegium, sive denique per aliud quodcumque ius ceteroquin concessa» †§

Haec autem absolutio, data in mortis periculo a sacerdote, extra mortis periculum a S. Paenitentiarum, ad forum internum coarctatur¹; in huius autem Tribunalis

¹ AAS, 28 (1936). p. 242 s.

« AAS. 29 (1937), p. 283 s.

² Ad dubium: «An absolutio in periculo mortis secundum canonem 882 limitetur ad forum internum an extendatur etiam ad forum externum», respondit Pont. Comm, pro interpr. Codicis: «Affirmative ad primam partem; negative ad secundam» (AAS, 20 [1928], p. 61).—De S. Paenitentiarum legimus in Codice: «Huius tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt; quare hoc tribunal pro solo foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, codonationes» (ca. 258, § 1).

rescripto, praeter facultates tributas confessario 1, paenitenti fit mandatum speciale, ut videlicet si noverit «adesse aliquos fideles qui forte scandalum sumerent ex eius accessu ad Sacramenta dum pergat sub eodem tecto cum muliere cohabitare, prudenter illos fideles monere debeat de gratia recepta a Sede Apostolica et de eiusdem gratiae natura» 2.

Casus primus.

Aurelius, sacerdos, aliquantulum post ordinationem, 102 evagatus animo, nonnullis illecebris allectus, tandem clericale veste sponte dimissa, ad instar viri laici mercaturae se totum dedit, a meridionalibus Italiae regionibus ad septentrionales se conferens.

Tempore belli, opportunas circumstantias nactus, ob impossibilitatem relationum inter duas Italiae partes, matrimonium religiosum cum Heremina, sponsi conditionis ignara, attentavit. Non multo post sponsa, de tanto scelere certior facta, nihilominus in nefaria cohabitatione perseveravit.

Occasione anni marialis in quodam sanctuario ambo

1 «Facultas tribuitur confessario:

a) absolvendi apostolica auctoritate paenitentem a censuris et a peccatis: itemque:

b) pari apostolica auctoritate reducendi eundem paenitentem ad statum laicalem iuxta can. 211, § 1, ad normam tamen et cum effectibus, de quibus in can. 213, §§ 1 et 2; scilicet firma manente lege coelibatus et eo ipso inducta amissione officiorum, beneficiorum, iurium ac privilegiorum clericalium:

c) pari apostolica auctoritate absolvendi mulierem a censuris et a peccatis;

d) indulgenti ut oratores simul cohabitare possint sub eodem tecto in absoluta et perfecta continentia, more scilicet fraterno, sub poenis congruis quas Legislator supremus forsitan decernere dignatus fuerit in hac gratia concedenda, si in posterum inter se peccarent contra castitatem» (Rossi, *Decretum Lex Sacri Coelibatus*, p. 74 s.).

a Rossi, l. c., p. 75.

ad confessarium accedunt, absolutionis cupidi at filiis impediti ne ab invicem discedant.

Quaeritur:

- 1) An Aurelius et Hereminia in censuram incurrerint.
- 2) Quid Aurelio et Hereminiae, nunc 40 annos plus minusve gerentibus, sit a confessario iniungendum.

Solutio

103 *Ad Ium.*— Aurelius quidem incidit in excommunicationem can. 2388 (100): non enim poterat excusari ignorantia legis; nec facile excusabitur poenae ignorantia. Quin pariter incidit in excommunicationem latam Decreto contra negotiationem exercentes (87), cum mercaturam ponatur exercuisse ante bellum; immo exercitium post diem 1 augusti 1950 (cf. can. 9) prosecutus, excusaretur haud difficulter quoniam Decreti nescius.

Hereminia, contra, non incidit in excommunicationem can. 2388: attentavit quidem matrimonium, sed «sponsi condicionis ignara». Nec punitur censura ob nefariam cohabitationem, etsi publicam et notoriam, in qua perseveravit «de tanto scelere certior facta»: non enim concubinatus, sed attentatio matrimonii, poena in lure plectitur.

104 *Ad Ilum.*— Quoniam non agitur de paenitentibus in periculo mortis—occasione enim marialis anni in quodam sanctuario ad confessarium pergunt—, et quoniam circumstantiis impediuntur cessare a cohabitatione sub eodem tecto—uti frater tamen et soror—,

a) Aurelii absolutio ab excommunicatione | et consequens admissio ad sacramenta more laicorum susci-

i Dispensationem ab irregularitate (100) Aurelius ne petat, quippe quae cohabitanti cum desertionis complice non conceditur.

pienda, ab una tantum S. Paenitentiarum concedi potest. Sacram ergo Paenitentiarum adeat per confessarium cui rescriptum, nota iam forma (101) remittetur.

b) Heremina vero, cum non subiaceat excommunicationi, non habet nisi ut absolvatur a peccatis, tum aliis, tum cohabitation!—quam tandem concubinarum novit—adnexis. Haec porro peccata, quoniam reservata non sunt, saltem non supponuntur, absolvi possunt a quolibet confessario.

Alii casus.

C. II.—Anno post sacerdotalem ordinationem vix 105 transacto, Nilus civile matrimonium iniit cum puella Actioni Catholicae addictissima. Ad proveciorem iam perventus aetatem, remorsibus vexatus, suae salutem providere vellet; nequit tamen, propter civile vinculum, a femina discedere, quae non modo renuit absolutionem petere a censura sed nec paenitet de peccatis, de unione, etsi civili, contentissima. Potestne Nilus conscientiae suae consulere?

Sol.—Affirmative. «Dummodo ex una parte mulier iam consenserit vitam castam degere et fidem dederit de absoluta perfectaue in posterum continentia perpetuo servanda et ex altera parte nullum adsit scandalum in gratia concedenda, nil prohibet quominus, inabsoluta muliere, sacerdos absolvatur» \ Faciat ergo recursum ad S. Paenitentiarum.

C. III.—Fluctulus, pridem parochus, inde civili ritu 106 Crescentianae nuptus, in mortis periculo versatur; ad bonam frugem redire cupiens, nec potens attamen, propter filios, a communi habitatione secedere, poteritne absolvi a sacerdote quolibet?

i Rossi, i. c., p. 73.

Sol.—Affirmative, cum onere tamen recurrenti, postquam convaluerit *, et quidem sub poena reincidentiae in censuram eiusdem speciei, ad S. Paenitentiarium et standi eius mandatis (cf. 101 et can. 2252).

107 C. IV.—Mortua vel dimissa complice quacum post susceptum sacerdotium matrimonium attentaverat, Nicasius pariter versatur in periculo mortis. Potestne quilibet sacerdos eum absolvere ab excommunicatione et a peccatis?

Sol.—Affirmative, et quidem sine onere recurrenti, post recuperatam valetudinem, ad S. Paenitentiarium, episcopum aliumve facultate praeditum speciali (cf. cann. 2388, 2252).

108 C. V.—Victorianus, sacerdos, suae oblitus vocationis et amore flagrans in quandam feminam, habitu dimisso atque magno populi scandalo, cum ipsa inivit civile matrimonium. Post annum ab uxore discessit atque nunc remorsibus vexatus vellet saluti suae consulere et ad exercitium sacri ministerii denuo admitti. Postulat igitur a theologo quid sibi agendum.

Sol.—Quoniam casus differt ab eo de quo in Decreto (101) et delictum Victoriani est publicum, recursus oportet fiat, per Ordinarium, ad Cong. S. Officii.

Suprema haec Congregatio sic procedit:

Habitis opportunis informationibus ab Ordinario, sacerdotem «si vere est paenitens» primo absolvit ab excommunicatione, ei concedens ut possit accedere ad Sacramenta *more laicorum*, firma tamen manente irregularitate. Absolutio data in foro externo valet quoque pro interno (can. 2251).

i niud *postquam convaluerit* dupliciter sui potest, videlicet: valetudine recuperata, *statim* recurrentum esse; vel etiam ex analogia iuris (cf. can. 2254, § 1) post *mensem* a valetudine recuperata. Haec altera Doctorum interpretatio nobis vera videtur (Id., ib., p. 36).

Post congruum et diuturnum experimentum de firmi propositi et sinceri doloris perseverantia, certiorata ex informationibus ab Ordinario obtentis, concedit sacerdoti dispensationem ab irregularitate, limitatam tamen ad Missae celebrationem, sub certis cautelis, iuxta varios casus. Exigit tamen necessario et semper: 1. signa sinceri doloris, certiorati ex diuturna probatione, ex testimonio (communiter) Ordinarii; 2. separationem realem et de facto a muliere; 3. separationem quoque legalem, si ligamen civile adest.

Et si quidem proles habetur, dispensatio ab irregularitate (et consequens concessio celebrationis Missae) difficilior redditur, semperque requiritur ut proli convenienter provisum fuerit. Quae certo provisio practice est difficilis. Difficiliter quoque evitantur admiratio et scandalum quae ducunt ortum ex publica rei notitia, et praesertim ob conversationem prolis cum patre sacerdote l.

C. VI.—Ad copulam iam quatter Tharadius parochus, 109 sub vehementi carnis tentatione, famulam adduxerat cum haec, etsi arcana de causa, obfirmato recusavit animo ulteriorem facere sui copiam nisi clam assumpta civili ritu in coniugem. Condescendit infelix ille atque, sub specie peregrinationis pergerunt ambo in aliam civitatem, ubi prorsus ignoti et confictis quoque documentis, coram civili nupserunt magistratu. Properarunt continuo in patriam; at vix domum attingerant, famula languescit brevique moritur inconsummato matrimonio. Quo quidem eventu, quasi irae divinae signo in semetipsum provocatae, ita permotus est Tharadius ut, combusto celebrati matrimonii apographo, quod famula sedulo servabat, ad confessarium, de peccatis sincere paenitens festinaret. Confessarius, postquam avidis auribus narrationem

i Aertnys-Danen, *Th. Mor.*, H, 609, ed. 1939.

totam exceptit, duo revocat in dubium: num Tharadius excommunicationem et irregularitatem incurrerit, quippe qui non consummavit matrimonium; et quatenus affirmative, num gaudeat ipse facultate necessaria pro absolute atque dispensatione.

Sol.—Tharadius incidit reapse in excommunicationem can. 2388, § 1 et in irregularitatem can. 985, 3.º, latus in sacerdotem matrimonium attentantem; porro matrimonium ipse attentaverat, licet non consummaverit (103). At cum quaestio sit de delicto occulto, in foro interno consulendum est paenitenti. In quo quidem foro absolutio ab excommunicatione can. 2388, § 1 dari potest in casibus urgentioribus a quolibet confessario, iniuncto tamen onere recurrenti, sub poena reincidentiae, intra mensem ad S. Paenitentiarium, vel ad episcopum aliumve superiorem praeditum facultate et standi eius mandatis (can. 2254, § 1); in casibus pariter urgentioribus dispensatio ab irregularitate de qua in can. 985, 3.º, concedi potest a quolibet confessario pro licito exercitio ordinis iam suscepti (can. 990). Casum porro hic versari urgentiorem liquet facile, nam agitur sacerdos, ultionem divinam pertimescens ideoque properans sibi divinam gratiam conciliare—cui propterea durum est in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut superior competens provideat—; agitur quoque parochus in paroeciam reversus, cui periculum imminet gravis infamiae si a susceptorum ordinum exercitio absteat donec Ordinarius adiri queat.

IV. APPLICATIO MISSAE PRO POPULO

Doctrina.

Ad Missam applicandam pro populo tenentur iure canonico et ratione officii: 1. Episcopi residentiales, post captam possessionem (can. 339 § 1); 2. Administratores Apostolici, si permanentemente instituti (can. 315); 3. Vicarii et Praefecti Apostolici (can. 306); 4. Vicarii Castrenses, si stipem vel notabile emolumentum ex officio percipiunt¹; 5. Abbates vel Praelati «nullius» (can. 323, § 1); 6. Superiores ecclesiastici missionum «sui iuris» ²; 7. Vicarii capitulares, sede vacante (can. 440); 8. Parochi (can. 466, § 1); 9. Quasi-parochi, nempe in missionibus (can. 451, § 2); 10. Vicarius paroecialis, si plena potestate paroeciali sit praeditus (can. 451, § 2); ideoque: Vicarius oeconomicus, vacante paroecia (can. 473). Vicarius actualis, si paroecia sit pleno iure unita domui religiosae, ecclesiae capitulari vel alii personae morali (can. 471, § 4); 11. Cappellani militum, si eis a Vicario Castrensi iure imponitur, quod percipiunt ex officio stipem vel notabile emolumentum ³. Ceteros obligatio ex iure canonico non urget⁴.

¹ S. C. Consistorialis, 23 apr. 1951; AAS, 43 (1951), p. 564.

² S. C. de Prop. Fide, 31 aug. 1934 (Sartori, *Enchiridion Canonicum*, ad can. 306).

³ S. C. Consistorialis, ubi supra.

* Quapropter non tenentur: 1.° Episcopi titulares, quos decet tamen ex caritate ut aliquando pro sua dioecesi Missam applicent (can. 348, § 2), nec ideo Episcopi coadiutores et auxiliares; 2.° Administratores apostolici constituti ad tempus (can. 315); 3.° Vicarii Castrenses, si non percipiunt ex officio stipem vel notabile emolumentum; 4.° Vicarius generalis; 5.° Rector seminarii; 6.° Superiores religiosi, qui tamen iure divino dicuntur adstricti ut pro suis subditis Missam applicent aliquoties; 7.° Cappellani monialium, carcerum, hospitalium, etc., etsi domus

iii S. C. Concilii recens (3 dec. 1960) promulgavit novum elenchum—ad novum rubricarum codicem aptatum—omnium dierum quibus tenentur pro populo sibi commisso Missam applicare: Episcopi residentiales (extra loca missionum), Administratores apostolici (permanenter constituti), Abbates et Praelati «nullius», Vicarii capitulares, Parochi (extra loca missionum), Vicarii oeconomi (vacante paroecia) et Vicarii curati seu actuales¹. Hi dies sunt:

Festa de praecepto: A) Dominicae I et II classis; B) Alia festa I classis in calendario Ecclesiae universae: Nativitas Domini, dies octavus Nativitatis Domini, Epiphania Domini, Ascensio Domini, festum SS. Corporis Christi, Conceptio Immaculata B. M. V., Assumptio ipsius B. M. V., festum S. Ioseph, sponsi B. M. V., festum SS. Petri et Pauli, apostolorum; et festum Omnium Sanctorum.

Festa non de praecepto: A) I classis in calendario Ecclesiae universae: Festum SS. Cordis Iesu, Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., Annuntiationis B. M. V., S. Ioseph Opificis, Dedicatio S. Michaelis archangel! et Nativitas S. Iohannis Baptistae; B) I classis in calendariis particularibus: Festum patroni principalis nationis, patroni principalis regionis seu provinciae ecclesiasticae sive civilis, patroni dioecesis, patroni principalis loci seu oppidi vel civitatis, anniversarium Dedicationis ecclesiae cathedralis et ecclesiae propriae, titulus ecclesiae propriae;

vel ecclesia a cura parochi subducta sit; 8.º Cappellani castrenses, nisi eis iure imponatur a Vicario; 9.º Vicarius adiutor, v. gr. ob parochi caecitatem (can. 475, § 2); 10.º Vicarius substitutus, in legitima parochi absentia (can. 474); 11.º Vicarius cooperator, cum parochi videlicet fructuose praesente (can. 476. § 6).

i Vicarius curatus paroeciae, pleno iure unitae mensae episcopali, obligatione tenetur applicandi Missam pro populo (S. C. Concilii, 9 iulii, 1938; AAS, 37 [1945], p. 298 s.).—Vicarius perpetuus tenetur ad Missam pro populo applicandam si plena potestate paroeciali sit praeditus (Eadem S. Congr., 20 mart. 1932; AAS, 25 [1933], p. 438).

c) II classis: Nativitas B. M. V.. Purificatio eiusdem, festa natalicia apostolorum et evangelistarum, scilicet festum S. Andreae, S. Thomae, S. Ioannis evang., S. Matthiae, S. Marci, SS. Philippi et Iacobi, S. Iacobi, S. Bartholomaei, S. Matthaei, S. Lucae et SS. Simonis et Iudae x.

Episcopi residentiales in locis missionum², Vicarii 112 apostolici, Praefecti apostolici, Vicarius Castrensis (si tenetur), Superior ecclesiasticus missionis «sui iuris»³, Parochi in locis missionum¹, quasi-parochi et Capellanus militum (si ipsi iure imponitur), Missam pro populo celebrare debent «saltem in sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, SS. Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. M. V., S. Ioseph, eius sponsi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum» (can. 306).

Ex can. 339: «In festo Nativitatis Domini, et si quod 113 festum de praecepto in diem dominicam incidat, satis est ut (Episcopi) Missam unam pro populo applicent. Si festum ita transferatur ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem*; secus in die *a quo*...⁵. Licet Episcopus duas vel plures dioeceses aequae principaliter unitas regat aut, praeter

AAS, 52 (1960), pp. 985 S.

² S. C. de Prop. Fide, 26 ian. 1954 (Sartori, l. c. ad can. 339, § 1).

³ Id., 31 aug. 1943, supra cit.

Id., 26 ian. 1954, supra cit.

⁵ «Attento iure quo utimur, si festum Annuntiationis B. M. V. cadit in triduum Maioris Hebdomadae, etsi festum transferatur in feriam H post Dominicam in Albis, cum tamen hac feria non vigeat obligatio adsistendi sacro et abstinendi a servilibus, obligatio applicandi affixa manet diei 25 martii; qui si sit feria VI in Parasceve cessat per accidens, ob contrarias leges liturgicas, obligatio applicandi sacrum» (Felici, in Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, II, 277).

propriam dioecesim, aliam vel alias in administrationem habeat, obligationi tamen satisfacit per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso» (§§ 2, 3, 5). Idipsum de parochis dicatur (can. 466).

- 114 Obligatio Missam celebrandi pro populo est: *gravis, personalis, realis*, tot Missas quis celebrare debet quot imponuntur, ideoque stipendium alteri conferre per quem ipsas fortasse celebrat, *localis* quoad parochum, qui Missas celebrare tenetur, etsi privatas, in paroeciali ecclesia (can. 466, § 4), *urgens statutis diebus*, sed Ordinarius potest, iusta de causa, applicationem alia die permittere (ib., § 3), et quidem *gratis*, seu sine stipendio, cum debeat ratione officii «omni exiguitatis reddituum excusatione... remota» (can. 339, § 1).

Casus primus.

- 115 Orontius parochus, nova licentia utitur Const. Apostolicae *Christus Dominus* pro sua paroecia, ac Missam Vespertinam unaqualibet die dominica, de consensu Ordinarii loci, celebrandam procurat.

Cum autem animadverterit populum magno concursu Missam vespertinam adire, ita ut numerosior tunc sit quam aliis duabus Missis matutinis, simul sumptis, nolens post meridiem Missam paroecialem transferre et alio ex capite putans illam Missam pro populo applicandam esse cui populus frequentior accedit, sacerdoti celebranti Missam vespertinam committit onus, aequo soluto stipendio, applicandi pro populo.

Hunc modum gerendi exprobat confessarius, cui Orontius rem exponit, obicitque onus huiusmodi esse personale, nec posse habitualiter per alios applicationem fieri. Cui Orontius respondet hoc esse in bonum plebis,

quae ferventius Missae adsistit, si sciat Missam pro se celebratum iri.

Quid dicendum?

Solutio

De applicatione Missae pro populo per alium loquitur 116
Codex bis; quoad episcopos: «Episcopus Missam pro populo... per se ipse applicare debet; si ab eius celebratione legitime impeditur, statis diebus applicet per alium» (can 339, § 4); et quoad parochos: «Legitime absens parochus potest Missam pro populo applicare vel ipse per se in loco in quo degit, vel per sacerdotem qui eius vices gerat in paroecia» (can. 466, § 5).

Igitur de applicatione per alium in Missa cui frequentior populus accedit Codex silet eiusque silentium potiori dicendi facultate praestat quod cum agitur de homilia dominicali ad populum habenda, legislator expresse: «Proprium cuiusque parochi officium est, consueta homilia, praesertim intra Missam in qua maior soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare» (can. 1344, § 1).

Sed habemus Casus solutionem in responsione data 117
a S. C. Concilii (9 apr. 1881) ad quendam Episcopum cuius parochi versabantur in Casus nostri adiunctis. Praemiserat enim: «In ecclesiis parochialibus suae dioecesis, diebus festis, a Parocho, vel Vice-parocho vel etiam ab alio sacerdote, Missam parochialem nuncupatam sollemniter cum cantu celebrari et inter Missarum sollemnia fieri quoque SS. Evangelii explanationem. Fideles porro firmiter putantes illam semper pro ipsis applicari, ad eam audiendam libenter confluunt. At pro populo applicatur nonnisi dum illam parochus canit, qui pluribus dissentus curis frequenter cogitur huiusmodi munus alteri

sacerdoti demandare». Ideo «Episcopus optans fideles in hac erronea persuasione diutius haud versari, ac simul advertens quod si id pernoscerent aegre ferrent et non amplius tam diligenter ad illam Missam audiendam accederent», a S. Congregatione petiit: «I. Utrum praedicta urgens consuetudo sit habenda tamquam causa canonica sufficiens ut Parochus alii committat Missam pro populo loco ipsius celebrandam. II. Posito quod non sit causa sufficiens, ut pro gratia nihilominus concedatur facultas», responsum habuit: «Ad I. Negative. Ad II. Non expedire» l.

Alii casus.

- 118 C. II.—Florius praeter paroeciam propriam habet alteram aut plures alias in administrationem; tenebitur Missam applicare pro populo tantum die festo suae paroeciae, an etiam in festis patronorum alterius vel ceterarum?

l ASS. 14. pp. 332 s.—In synoptica autem disceptatione legimus: «Certum et extra dubitationis aleam positum esse videtur parochos ad applicationem Missae pro suis fidelibus divino iure teneri... Huiusmodi porro obligationem, qua parochi devinciuntur, personalem esse, una veluti echo Canonistae et Theologi tradunt... Quibus hucusque dictis serio expensis atque ponderatis, videretur, nedum quod dicta consuetudo ratio sufficiens non sit alteri committendi applicationem Missae pro populo, verum etiam nec causa rationabilis indulgentiae in proposito gratiae, et tam sanctum ac rationabilem canonum rigorem relaxandi. Quin aliquid valeat quod in contrarium adducitur, pia nempe fidelium credulitas ac timor desistendi ab illa Missa audienda, si id pernoscerent. Quandoquidem leves ob hasce causas neque excusandus videretur Parochus a satisfaciendo onere quod eidem personaliter incumbit, neque relaxanda lex quam lugiter sancta haec Apostolica Sedes servatam voluit. Praeterea quod si fideles doceantur nihil ab ipsis amitti, si Missa privatim a Parocho celebretur, atque non leve bonum eisdem obvenire adsistendo Missae cum cantu atque explanationi verbi Dei. oppositus timor in vanum timorem refundi videretur. E contra perpendas quod licet Parochorum obligatio Missae sacrificium pro populo applicandi ex divino praecepto manare videatur, tamen certum et indubium est Parochos, si legitime fuerint Impediti, posse huic oneri per alios satisfacere,...» (l. c. p. 333 s.).

Sol.— S. C. Concilii respondit (20 nov. 1927): «Negative ad primam partem; affirmative ad secundam»¹.

C. III.—Utrum vicarius oeconomicus, cui olures paroecias tempore vacationis regit, unam tantum debeat Missam pro populis sibi commissis diebus praescriptis applicare? 119

Sol.— Respondit (14 iulii 1922) Pont. Commissio codicis interpr.: «Affirmative, ad normam can. 473, § 1 collati cum can. 466, § 2»².

C. IV.—Valerius, parochus, licet sufficientes redditus habeat, Missam pro qua stipendium acceperat celebravit die dominica, et, decurrente hebdomada sacrificium pro populo obtulit. Idem etiam alia vice praestitit, celebrando die dominica pro defuncto, praesente corpore, et Sacrum pro populo faciendum ad alium diem feriale remittendo. Mutata autem paroecia, cum in novo domicilio non sibi videatur redditus habere ad honestam sustentationem sufficientes, Sacrum diebus festis pro populo non applicat. 120

Sol.— Ad hunc casum Ferreres: <1.^o Valerius peccavit remittendo Missam pro populo celebrandam ad aliam diem absque necessitate, id est secluso dispensationis casu; praeceptum enim Ecclesiae est ut Missa pro populo die dominica a parochis celebretur... 2.^o Nec valet ratio Missam pro defuncto, etiam praesente cadavere, celebrandi. Constat ex responsione S. C. Rituum in Fesulana, 26 ian. 1711... 3.^o Non valet Valerii excusatio, scilicet quod redditus sint tenues et non sufficiant ad ipsum sustentandum. Urget enim nihilominus obligatio celebrandi diebus festis pro populo. Sic pluries decrevit S. Cong., potissimum die 29 ian. 1734. Ratio est, quia pastor hanc obii-

¹ AAS. 20 (1928), p. 87.

² AAS, 14 (1922), p. 528.

gationem suscepit, non obstante redituum insufficientia, et proinde eam adimplere debet» \

121 C. V.—Chrysanthus, parochus, quandoque diebus dominicis in sacello nobilis familiae celebrat, dum alius sacerdos Missam pro populo in ecclesia parochiali cantat.

Sol.— «Per se peccat Chrysanthus dum Missam pro populo alii committit celebrandam ut ipse in nobilium sacello celebret. Et si crebro ita violat legem ecclesiasticam, peccat graviter. Attamen, si ratio quaedam particularis, puta ob speciale beneficium paroeciae collatum vel instantem sollicitationem, id postularet, videtur culpa carere, dummodo id raro fiat: nulla enim rationabilis causa esse potest ob quam parochus habitualiter ecclesiam suam pro sacello privato deserat». Ita Genicot².

122 C. VI.—Tigrius parochus, dum utitur facultate binandi, potestne alteram Missam applicare pro populo parochi quem legitime supplet, tempore utputa exercitiorum spiritualium?

Sol.— Ad huiusmodi quaestionem Regatillo: Nonnulli negant; nobis autem asserendum videtur. Nam can. 166, § 5 confert legitime absentem potestatem celebrandi per substitutum quem relinquit in paroecia; porro nullibi prohibetur quin iste sit parochus. Neque can. 824, § 2 vetat satisfacere eodem die obligationi duplici ex iustitia, verum applicare utramque missam cum stipendio; ergo non recipiens stipendium pro missa altera, potest hanc applicare ad satis faciendum alteri obligationi³.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Missae pro populo applicatio cur praecipatur ab Ecclesia

» Ferreres, *Casus Conse.*, II, 397, ed. 1926.

1 Genicot, *Casus Conse.*, 725, ed. 1928.

* Regatillo, *Casos Canônicos*, I, 340, ed. 1957.

cum sit actus internus (I, 337); *Parochus bis litans in dominica pro stipendio* (III, 447).

CELEBRATIO MISSAE OB STIPENDIUM

Doctrina.

«Tot celebrandae et applicandae sunt Missae, quot stipendia etiam exigua data et accepta fuerint» \ Haec obligatio communiter habetur uti strictae iustitiae, ob mutuum contractum onerosum «do ut facias». Sed ad quaestionem utrum qui omittit unam Missam, pro qua recepit stipendium, peccet graviter, respondebant plures negative, si stipendium esset exiguum; hodie tamen responsio affirmativa longe communiora, nisi stipendium sit ita tenue ut Missa censeatur gratis promissa. 123

Horum etiam, qui tenent obligationem celebrandi gravem, non omnes urgent sub mortali restitutionem stipendii Missae non celebratae, quandiu eius materia non est gravis. Omnes attamen docent sacerdotem adstringi sub mortali ut Missam, quam omisit, celebret per se vel per alium.

Obligatio ex stipendio orta non solum se extendit ad ipsam Missam dicendam, sed ad omnes quoque circumstantias expresse stipulatas (can. 833), circumstantias nempe temporis, loci etc. 124

1 Can. 828.—«Si quis pecuniae summam obtulerit pro Missarum applicatione, non indicans carundem numerum, hic supputetur secundum eleemosynam loci in quo oblator morabatur, nisi aliam fuisse eius intentionem legitime praesumi debeat» (can. 830).

2 Alii: quoniam ille pro quo Missa erat applicanda privatur magno bono spirituali, Missae scilicet fructu; alii: quoniam sacerdos ex iustitia se obligavit ad rem magni momenti; alii: quod sacerdos transgrediatur grave Ecclesiae praeceptum.

«Missae pro quibus celebrandis tempus ab oblatore expresse praescriptum est, eo omnino tempore sunt celebrandae» (can. 834, § 1). «Dilatio tamen in diem sequentem excusari posse videtur nisi missam petens, gravem ob causam, hunc diem praefixerit, vel etiam hunc in finem maius stipendium obtulerit» x.

«Pro Missis celebrandis in altari privilegiato nequit, sub obtentu privilegii, maior exigi Missae eleemosyna» (can. 918, § 2). Sed obligatus celebrare ad altare privilegiatum, satisfacit privilegio personali utens 1.

125 «Qui Missarum stipes manuales³ ad alios transmittit, debet acceptas integre transmittere, nisi aut oblatores expresse permittat aliquid retinere, aut certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae» (can. 840, § 1). Attamen sacerdotes qui, ob gratitudinem vel amicitiam, sacerdoti vel superiori monasterii mittunt stipendia collecta inter fideles, non possunt sacerdoti vel superiori huic licentiam dare ut si ad alios transmittant stipendia, retineat sibi aut monasterio aliquam horum partem.

«In Missis ad instar manualium⁴, nisi obstet mens fundatoris, legitime retinetur excessus et satis est remittere solam eleemosynam manualement dioecesis in qua Missa celebratur, si pinguis eleemosyna locum pro parte

1 Marc. Inst. Mor., II, 1611, ed. 1927.

3 Qui bona fide, utputa ex oblivione, omisit celebrare in altari privilegiato, non tenetur ad restitutionem stipendii vel ad aliam Missam applicandam; sufficit si defuncto aliam indulgentiam plenariam applicet. At si non omisit bona fide, hoc altero modo non satisfacit.

3 «Stipendia quae a fidelibus pro Missis offeruntur sive ex propria devotione, velut ad manum, sive ex obligatione etiam perpetua a testatore propriis heredibus facta, *manualia* dicuntur» (can. 826, § 1).

4 «Ad *instar manualium* vocantur stipendia Missarum fundatarum, quae applicari non possunt in proprio loco, aut ab his qui eas applicare deberent secundum tabulas foundationis, et ideo de iure aut Sanctae Sedis induito aliis sacerdotibus tradendae sunt ut iisdem satisfiat» (canon 826. § 2).

teneat dotis beneficii vel causae piae» l. Attamen; si rector ecclesiae dat sacerdotibus missas ex legato in ecclesia fundatas, isti nequeunt eas aliis cum minori stipendio committere¹.

Sed an qui illicite retinet excessum supra taxam dioecesis in qua Missa celebratur peccet necne contra iustitiam ideoque ad restitutionem teneatur, controversa quaestio. Quidam quidem illum pronuntiant reum gravis peccati, nec tamen iniustitiae—dummodo curet missam sibi commissam celebrare—. Alii vero propugnant ipsum iniustitia peccare ideoque adstrictum ut restituat—communius et probabilius, celebranti; non oblatori—. At si peccatum iniustitiae patet cum agitur stipendiorum unus collector, cui nempe stipes committuntur ut missas habeat per alios celebratas, non satis elucet cum collector agitur celebraturus, cui videlicet stipes dantur ut missas ipse celebret, quantumvis facta potestate ut quas celebrare per semetipsum nequeat eas celebret per alios: hoc etenim in casu videtur ex iustitia suscipere onus tantum celebrationis, cui oneri per alios (licet diminuto stipendio) plene satis fecit.

Casus primus.

Geremarus presbyter ab amico Tharsicio, sacerdote in longinquis regionibus degente, 300 Missarum intentiones receperat ad mentem dantis. Non valens immediate satisfacere his oneribus, amicum Leonem, alicuius com- 127

¹ Can. 840, § 2.—«Si fundatoribus animus tantum fuit, ut missae celebrentur, celebranti integrum stipendium tradendum est... Si autem animo etiam intenderunt meliores reddere parochi capellanive redditus, satis est remittere solam eleemosynam manualementis dioecesis in qua missa celebratur, atque excessus retineri potest. Atque idem dicendum est, ut patet, si praeter missae celebrationem, alia implenda sint officia» (MARC, l. c., n. 1619).

² Ita S. C. Concilii, 19 dec. 1904; ASS, 37, p. 521.

munitatis Superiorem, adit et convenit de commutandis intentionibus per trecentos dies, suo quoque stipendio retento.

Geremarus, ab aliis oneribus liber, iuxta pactum, quinquaginta Missas ad mentem Leonis celebrat. At, ob alias supervenientes obligationes urgentiores, ceteris Missarum intentionibus satisfacere non valens, aliis has tradit sacerdotibus alienae dioecesis, stipendia eis remittens iuxta taxam illius dioecesis.

Nunc angustiis premitur utrum potuerit eam pecuniae partem quae taxam dioecesanam excedit sibi retinere necne.

Quaeritur:

1. Num commutatio intentionum sit licita.
2. Quid ad casum.

Solutio

128 *Ad Ium.*—Etsi duplex hac de re sententia, non videtur illicitum intentiones Missarum commutare, quantumvis stipendia sint inaequalia, quoniam non mutatio stipendiorum sed missarum vel obsequiorum fit, id est servitii mutui; porro, sicut unus potest habere stipendium pingue pro Missa quam commendat, et alter quoque pro Missa quam permutat. Sententiae huic benigniori ipsa praxis timoratorum favet.

Iure vero Vermeersch animadvertit: «Improbanda tamen foret studiosa pinguioris stipendii captatio, si nempe frequenter, conquiendo pingua stipendia, tibi huiusmodi lucra comparares» \

129 *Ad Ilum.*—Geremarus dicitur accepisse, non tamen quaesuisse, tercentas intentiones ab amico Tharsicio, sa-

i Vermeersch, *Th. Mor.*, HI. 300, ed. 1927.

cerdote; acceptavit autem pro se, quin intenderet ipsas cum lucro commutare et putans se futurum habilem qui ipsas celebret intra annum (can. 835); de facto tamen ad alias tercentas, ipsarum loco, se obligat et huic incipit obligationi satisfacere.

Et licite quidem Geremarus, non valens immediate celebrare quas a Tharsicio missas recepit, has cum Leone commutat. Licite quoque retinet sibi excessum, si quis est, stipis pro quinquaginta missis quas per se ipsemet celebravit.

An quoque licite vel excessum pro ceteris quas celebravit tantum per alios?

Quoniam eleemosynas habuit a Tharsicio, amico quidem, sed sacerdote, praesumptio stat huiusmodi eleemosynas nullum excessum importare ob amicitiam—sive fidelium ad Tharsicium, sive fidelium aut Tharsicii ad Geremarum—intuitu nempe personae superadditum. Id saltem non constat certo. Excessum igitur huiuscemodi Geremarus sibi illicite appropriavit.

Cui excessus iste cedit iure? Si stipes Missarum Tharsicii pares sint cum stipibus Missarum Leonis, excessus supra taxam dioecesanam celebrantium hisce celebrantibus debetur. Si vero stipes Missarum Tharsicii superiores sint stipibus Missarum Leonis, tunc excessus qui est Missarum Leonis supra taxam dioecesanam celebrantium debetur celebrantibus; excessus attamen qui supersit inter stipendia Missarum Tharsicii et stipendia Missarum Leonis, Leoni debetur, simpliciter quidem si Leo non commutaret cum illis celebrantibus quas commutat Missas cum Geremaro—familiari, benefactori, etc.—, secundum quandam potius decentiam—quasi praemium suscepti beneficii—si prout commutat Missas cum Geremaro aeque libenter Leo commutaret cum illis celebrantibus.

Sed an, denique, quem excessum retinuit neque bona

fide iam consumpsit (cf. III, 62, 68), Geremarus ex justitia restituere debeat Leoni et celebrantibus, solutio pendet a, quam ipse existimet tutam, mitiori aut rigidiori sententia (126).

Alii casus.

- 131 *C. II.*—Hermias acceptavit celebrandas 30 Missas gregorianas, id est dicendas 30 diebus continuis, quod pie ac rationabiliter credatur animam pro qua applicantur liberari a purgatorio ob S. Gregorii M. intercessionem. Sed aliqua die seriem interrupit. Teneturne tricenarium iterum reassumere?

Sol.—Distinguendum est. Si quidem voluntarie seriem interrupit, tenetur proculdubio, cum principale quid omiserit de quo contractum iniit. Si vero involuntarie, ob aegritudinem inopinatam puta, inadvertentiam etc., Auctores non concordant: alii contenti sunt si Missam suppleat quam omisit; alii petunt insuper ut hanc Missam celebret in altare privilegiato vel ut indulgentiam plenariam applicet pro defuncto; alii, ut unam Missam celebrare faciat ad altare Gregorianum in Urbe vel ad aliquod aliud instar Gregoriani privilegiatum; alii imponunt compositionem petendam a S. Paenitentiarum; alii, denique, quibuscum sentio, ubi haec petitio non intersit, imponunt totius seriei reasumptionem si stipendium quod pro 30 missis recepit sit sufficiens, iuxta taxam consuetam, et pro missis celebratis et pro tricenario de novo reasumendo—alias, dicunt, nulla adest obligatio nisi ex fidelitate, quae non obligat cum magno incommodo.

- 132 *C. III.*—Cunibertus accepit pro Missa celebranda stipem superiorem ea quae definitur taxa dioecesana. Nescit autem quomodo constet excessum datum esse alicui intuitu, ut dicitur, personae.

Sol.—Hoc certo facile constat ubi stipis datae ab amico, beneficiato, etc., excessus sit notabilis supra taxam in dioecesibus oblitoris et recipientis parem, aut supra taxam in dioecesi vel unius oblitoris, vel huius simul ac recipientis cum oblitor est disparitatis conscius—quin tamen certo constet in hoc postremo casu num excessus sumendus sit supra taxam dioecesis oblitoris aut recipientis potius, qui propterea retineri nequit nisi supra taxam altiorem—. Nec constat certo datum fuisse intuitu personae excessum non notabilem in stipe ab amico etc., vel excessum notabilem in stipe ab extraneo, ubi taxa par in utraque dioecesi; immo ubi diversa, si oblitor ignarus differentiae eleemosynam dedit non superiorem taxa dioecesis suae, aut differentiae conscius eleemosynam quidem dedit superiorem taxa unius non tamen dioecesis utriusque.

C. IV.—Titius, sacerdos hispanus, plurima sacra litanda facillime in Lusitania colligere solet, quorum stipendium aere lusitano recipit; hoc in aes hispanum permutato, ex centum quibuslibet obolis, 35 aut etiam 40 Titius lucratur. Haec Sacra hispanis sacerdotibus litanda tradit, iisque idem stipendium dat; sed foenus ex aeris permutatione sibi retinet. Plerique Titium optime se gessisse autumant; quia nulla lex est quae id vetet; atque ipsum naturae ius, uti fructum industriae, permittit. Praeterea Titius... operae suae pretium obtinet, magnoque egenis sacerdotibus adiumento est, qui secus stipendia ex Sacris litandis numquam habere possent... Quaeritur: An Titio liceat foenus ex aeris permutatione perceptum retinere.

Sol.—Huic quaesito responderat (21 nov. 1898) S. C. Concilii: Negative \

1 ASS, 31, p. 623 s.

134 C. V.—Plura Missarum celebrandarum Asyncritus acceperat stipendia quae noctis tempore latrones cum aliis pecuniis arripuerunt. Tenetne Asyncritus ad illarum Missarum celebrationem?

Sol.—Ex can. 829: «Licet sine culpa illius qui onere celebrandi gravatur, Missarum eleemosynae iam perceptae perierint, obligatio non cessat». Ad quae Vermeersch: «Severitatem istam circumscribimus eo qui *personali* obligatione celebrandi, per se vel per alios, tenebatur: generale enim istud est, ut si quis ex alterius obligatione onerosa obtinuerit id ad quod ius habebat, ipse iam absolute suam obligationem exsequi debeat, quacumque ratione lucrum perceptum servaverit vel amiserit. Si autem de eo ageretur qui non foret nisi *nandataris* (de quo in c. 837) qui mere stipendia transmittere deberet et numquam stipendia acquisivisset, is ad nihil teneretur si stipendia ista casu fortuito apud ipsum periissent. Haec enim patrimonium ipsius non essent ingressa, et obligatio mandati impossibilitate executionis cessare dicenda est» l.

135 C. VI.—Bonaventura, parochus, plura celebrandarum Missarum stipendia acceperat in moneta exercitus regionem occupantis. Post brevissimum tempus, antequam Missas acceptas celebraret, exercitus ille coactus fuit deserere regionem eiusque moneta omni prorsus valore est destituta. An tenetur adhuc Bonaventura ut Missas celebret quarum nullum est amplius stipendium?

Sol.—Respondet Ylla: Affirmative, propter can. 829, modo citatum (134); quapropter medium se ab obligatione liberandi, duplex: petere ab eleemosynarum oblatores exemptionem ab onere, aut impetrare compositionem a S. C. Concilii, quae eam facile concedit si sacerdoti

i Vermeersch, l. c., n. 298.

quae stipendia recepit non expendit quandiu moneta valorem suum servabat \

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Missae applicatio ad intentionem superioris religiosi (I, 338); Stipem supra taxam dioecesanam exigens pro Missae celebratione (III, 444 s); Parochus bis litans in dominica pro stipendio (III, 447).

VI. SACERDOTUM IN REM POLITICAM INTERVENTUS

Doctrina.

«Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos eosque sua cuiusque natura causaque proxima definitos... Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua sive rursus tale intellegatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae; cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta» 2. 136

Catholici igitur, qui sunt membra societatis tum religiosae tum civilis, in iis quae sive fidem sive mores spectant subiciuntur Ecclesiae, in iis vero quae ad politicam 137

i Ylla, *Cucstiones eclesiâsticas*, U, 7.

s Leo XIII, enc. *Immortale Dei* (1 nov. 1885); *Acta*, 5, p. 127 s.. ed. 1886.

attinent habent eadem iura atque officia quae sunt ceterorum civium erga Statum.

Ideo catholici possunt quin et debent partem suscipere in vita publica ut promoveant bonum sociale et oeconomicum propriae civitatis seu nationis; possunt et debent suffragium ferre in electionibus administrativis ac politicis; possunt et debent partes seu factiones politicas vel constituere vel constitutas ingredi quibus commune civitatis bonum promoveatur. Ecclesia enim admittit neque reprobatur politicas huiusmodi partes seu factiones, partes puta monarchicas, republicanas, etc., et ideo libertatem voto favendi unam alteramve; dummodo res agatur mere politica, non moralis neque religiosa. «Si quaeratur de rationibus mere politicis, de optimo genere reipublicae, de ordinandis alia vel alia ratione civitatibus, utique de his rebus potest honesta esse dissensio» l.

Sacerdotes porro, cum sint quoque cives, civium iuribus et officiis non privantur, ea nisi agantur munera quae a clericali statu sunt aliena quaeque ipsis sacris canonibus vetantur; sic in can. 139: «§ 2: Sine apostolico induito... officia publica, quae exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis secumferunt, ne assumant... § 4: Senatorum aut oratorum legibus ferendis quos *deputatos* vocant, munus ne sollicitent neve acceptent sine licentia Sanctae Sedis in locis ubi pontificia prohibitio intercesserit; idem ne attentent aliis in locis sine licentia tum sui Ordinarii tum Ordinarii loci in quo electio facienda est» a.

l Leo XIII. enc. *Immortale Dei* (1 nov. 1885); *Acta*, 5, p. 149 s., ed. 1886.

- Ad dubium: «An Ordinarii locorum in concedenda licentia sacerdotibus, qui se candidatos ad deputatorum comitia sistere cupiunt, potius difficiles quam faciles se praeberere debeant», respondit (25 apr. 1922) Pont. Commissio pro interp. Codicis: «Affirmative ad primam partem; negative ad secundam» (AAS, 14 [1922], p. 313).

At cum sint Ecclesiae ministri, ne reprobent quod 138
Ecclesia probat vel probent quod Ecclesia reprobat.

Ergo ne reprobent factionem ullam mere politicam. Immo cum debeant fieri omnia omnibus ut omnes lucrifaciant, vitent ne studio partium abrepti ad factionum luctam descendant. Contentur potius in nullam partem propensionem ostendere ut quoscumque in electionibus victores amicos habeant quos possint consiliis adiuvere ne tentent aliquid contra Ecclesiam et bonos mores sed sapientiam virtutemque religionis tamquam saluberrimum succum atque sanguinem in ipsorum venas inducant, ut verbis utamur Leonis XIII \

Sed nec probent quod Ecclesia reprobat. Nam si vel laici tenentur politicam actionem explicare ad Ecclesiae normas, multo magis clerici. Hi, e contra, tenentur normas quas Ecclesia dederit promulgare fidelibus hosque viriliter urgere ut eis se accommodent¹. Possunt igitur atque debent catholicos deterrere ne nomen dent factioni quae Christianam religionem insectetur, quae Christianum morum codicem conculcet, quae Christianae familiae subvertat fundamenta³.

¹ Leo XIII, l. c., p. 146.

² «Il .sacerdote è ministro della Chiesa ed ha una missione che... si estende a tutta la cerchia dei doveri religiosi e morali dei fedeli, e nell' adempimento della quale egli stesso può essere quindi obbligato a dare, sotto quell' aspetto, consigli o istruzioni riguardanti anche la vita pubblica» (Pius XII, alloc, diei 10 martii 1946; AAS, 38 [1946], p. 188).

³ «L'esercizio del diritto di voto è un atto di grave responsabilità morale, per lo meno quando si tratta di eleggere coloro che sono chiamati a dare al Paese la sua costituzione e le sue leggi, quelle in particolare che toccano, per esempio, la santificazione delle feste, il matrimonio, la famiglia, la scuola. il regolamento secondo giustizia ed equità delle molteplici condizioni sociali. Spetta perciò alla Chiesa di spiegare ai fedeli i doveri morali, che da quel diritto elettorale derivano. L'art. 43 del Concordato del 1929 vieta agli ecclesiastici in Italia *d'iscriversi e militare in qualsiasi partito politico*. La Chiesa intene di far rispettare fedelmente questa disposizione... Ma, d'altra parte, non può rinunciare al diritto suaccennato» (Pius XII, l. c., p. 187).

Casus primus.

139 Sergius sacerdos Michael! confratri anxietates suas exponit circa possibilitatem collusionum inter religionem et politicam ideo quod ab ecclesiastica auctoritate iussi sint catholicos monere ne votum in electionibus favorabile exprimant quibusdam etiam partibus quae plenam agnoscunt sublectionem Ecclesiae et religiosa et moralia principia reverentur. Timet insuper ne si pars in cuius favorem votum catholicis praecipitur fiat conscia motivorum praecepti—periculi scilicet alias imminentis—, pergat astuta in periculo protrahendo ut inde perennetur quoque favor illi concessus.

Quid dicendum?

Solutio

140 iam monuerat Leo XIII: «Hoc est potissimum perpetuoque spectandum, quid maxime expediat Christiano nomini: quod ipsum sicubi in periculo esse adversariorum opera videatur, cessandum est ab omni dissidio et concordibus animis et consiliis propugnatio ac defensio suscipienda religionis, quod est commune bonum maximum, quo sunt omnia referenda» \ Itemque: «Fautores contrariarum partium, cetera dissidentes, in hoc oportet universi conveniant, rem catholicam in civitate salvam esse oportere. Et ad istud nobile necessariumque propositum, quotquot amant catholicum nomen debent velut foedere icto studiose incumbere, silere paulisper iussis diversis de causa politica sentiis, quas tamen suo loco honeste legitimeque tueri licet» 2.

i Leo XIII, enc. *Sapientiae Christianae*; Acta, 10, p. 29, ed. 1891.

* Id., enc. *Cum multa*; Acta, 3, p. 174, ed. 1884.

Talis autem potest esse casus in quo, divisus votis pro partibus plene Ecclesiae subditis et principia religiosa atque moralia colentibus, marxismus puta victoriam obtineret. His profecto in adiuntis auctoritas ecclesiastica vetare potest ne fideles faveant tot illis partibus: periclitatur enim id quod est substantiale, quodque debet praevalere super accidentalia. Ubi tale vetitum auctoritate ecclesiastica datum fuerit, signum est periculi gravissimi cui subiacet principale bonum, defendendum pro aris atque focus, neglectis momentanee secundariis commodis diversarum partium; illud autem periculum gravissimum tenentur fideles evitare.

Nec oportet insistere in abusu possibili et probabili 141 penes partem cui suffragium fertur. Quoniam non est sermo de modo agendi huiusce partis, sed de modo agendi electorum catholicorum. Fur equidem male agit dum minatur mortem nisi obtineat pecuniam, verum ille cuius vita periclitatur nisi pecuniam tradat debet potius pecuniam tradere quam morti sese exponere. Bonum commune, ceteroquin, praeeminet bono partis et bonum partis est sacrificandum pro salute totius. Hoc enim pertinet ad politicas virtutes, «secundum quas cives pro bono communi et dispendia propriarum rerum et personarum interdum sustinent»¹, et cum maior pars civium non sit virtuosorum, propterea datur lex ab eo qui curam communitatis habet ut id agant imperfecti moti a legislatore quod perfecti seu virtuosi agunt propria sponte (Cf. I, 385).

Alii casus.

C. II.— Ab actione politica Maro sacerdos ab Ordinario loci fuit prohibitus quod in illa explicanda non se conformaret instructionibus S. Sedis; Maro tamen prae- 142

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 26, 3.

ceptum violavit nec post monitionem se emendavit; quapropter Ordinarius ipsum poena multavit. An iure?

Sol.—Affirmative. Nam ad duplex dubium: «I. Utrum Ordinario ius sit et officium interdicendi per praeceptum actionem politicam viris ecclesiasticis, qui in ea explicanda non se conforment instructionibus Sanctae Sedis? Et quatenus affirmative, II. An qui praeceptum violaverint et moniti non se emendaverint, congrua poena puniri possint et debeant ad normam sacrorum canonum?», S. C. Concilii respondit (15 martii 1927): «Affirmative ad utrumque» *.

143 C. III.—An S. R. E. cardinales, archiepiscopi, episcopi sive residentiales sive titulares, ad normam can. 139, §, 4, vi munus senatorum sollicitare vel acceptare possint?

Sol.—Pontif. Commissio pro canonum interpretatione respondit (25 aprilis 1922): «Negative et ad mentem. Mens est: Si vi constitutionis civitatis, cardinales, archiepiscopi, episcopi sint de iure senatores et Sancta Sedes aliquo modo id probaverit, cardinales, archiepiscopi, episcopi possunt sine speciali licentia Sanctae Sedis huiusmodi munus explere, dummodo per vicarium generalem aliove modo suis obligationibus satisfaciant. In quolibet autem alio casu cardinales, archiepiscopi, episcopi sive residentiales sive titulares indigent venia Sanctae Sedis» a.

'4 C. IV.—Theonas parochus aegre omnino fert quod eius paroeciani militare velint in partibus politicis una simul cum acatholicis; timet etenim, quoniam acatholici non agnoscunt plenam sublectionem Ecclesiae.

Sol.—Agitur quaestio de iure. Porro si catholici militant in partibus politicis una simul cum acatholicis se-

I AAS. 19 (1927), p. 138.

* AAS, 14 (1922), p. 313.

ctantibus quoad res mere politicas sanam policiam, timor parochi nullo nititur firmamento: res siquidem mere politicae extra terminos vagantur auctoritatis ecclesasticae. Si tamen militant in partibus politicis simul cum acatholicis non agnoscentibus plenam Ecclesiae subjectionem quoad res Ecclesiae subditas, tunc parochi timor est per se rationi consentaneus, licet possit per accidens pugnare cum ratione.

Est quidem rationi consentaneus per se loquendo, nam sublectio Ecclesiae est indubie agnoscenda in omnibus quae spectant ius naturae, divinum, ecclesiasticum; et ideo coadunatio catholicorum cum acatholicis catholicos constituit in periculo cooperandi ad iniquam legem, v. gr. contra sanctitatem matrimonii, contra educationem Christianam, contra libertatem Ecclesiae.

Pugnat tamen per accidens cum ratione quando catholici, abstinentes quidem a cooperatione in ferendis legibus iniustis, possunt adunati cum acatholicis defendere quaedam Ecclesiae iura, vel vitare quae aliter praevidentur maiora mala. Si illi igitur acatholici tuerentur matrimonium contra divortium, educationem privatam contra statalem laicam, libertatem religionis catholicae contra fidei persecutores, non est cur catholici non possent cum illis adunari.

C. V.—Benno, sacerdos et civilis disciplinae peritus, 145 quaestionem de iure non exagitat, est enim optime versatus in Leonis XIII et posteriorum Pontificum documentis. Anceps est autem quandonam dentur de facto circumstantiae in quibus liceat catholicis militare in partibus politicis simul cum acatholicis.

Sol.—Res interdum deducitur ad superiores ecclesiasticos, quorum decisionibus tenentur clerici atque laici se submittere quoad liceitatem et opportunitatem adunationis. Si superiores ecclesiastici taceant, licitam ha-

beat Benno adunationem catholicorum cum partibus acatholicis ad pugnandum contra partem anticatholicam vel cum parte minus mala ad pugnandum contra partem peiorem '.

146 C. VI.—Siricius, verbi divini praeco, vehementer improbrat fideles qui votum tradunt favorabile parti communistae; eosque non modo peccati reos sed excommunicates quoque pronuntiat.

Sol.—Quando agitur de tuendis bonis religionis, fundamentis moralibus sive familiae sive Status, iuribus vel Dei vel Ecclesiae, evidens est catholicos in conscientia teneri suffragium ferre in favorem candidatorum quos noverint haec omnia servaturos. Sed inde quoque est evidens catholicos non posse suffragium ferre favorabile pro parte comunista, quae illa conculcat bona, fundamenta et iura. Sed cum id quod est per se evidens, possit quibusdam esse minus obvium, S. Congr. S. Officii, ad quaestionem: Utrum licitum sit partibus communistarum nomen dare vel eisdem favorem praestere, respondit: Negative (cf. I, 115). Hucusque Siricius recte prorsus. In errore tamen versatur cum asserit fideles suffragium dantes comunismo excommunicationem ipso facto incurrere, quippe quae lata est in eos qui communistarum doctrinam materialisticam vel antichristianam profitentur, et in primis qui eam defendunt vel propagant; porro sunt plures qui suffragium dant marxismo in electionibus quin intendunt eius adhaerere doctrinae materialistae et antichristianae (ib. n. 115 s.).

1 «Si optio detur solum inter duos candidatos indignos, quorum tamen unus est alio peior, v. g. inter socialistam et alterum liberalibus erroribus imbutum, pro minus indigno suffragium emitti potest et plerumque expedit; nam inter duo mala minus eligere licet; sed, ad praecavendum scandalum pusillorum, publice declaretur id fieri solummodo ad impedienda mala e peloris electione secutura» (Tanqueray, *Th. Mor.*, III, 981, ed. 1930).

VII. EXPERIMENTUM SACERDOTUM LABORI ADDICTORUM

Historia.

Hoc experimentum locum habuit in Gallia. 147

Iam anno 1939 Pater Bousquet, O. F. M., mandatum acceperat a provinciali Aquitaniae ut comminus inspiceret religiosa problemmata operariorum. Ab anno 1941 Pater Loew, O. P., laborabat quasi unus ex operariis portus Massiliensis. Iulio eiusdem anni, in conventu Cardinalium et Archiepiscoporum Galliae approbatur erectio seminarii inter-dioecesani pro Missione Galliae.

Cum Germania exigeret a gallis 800.000 operarios, conventus episcoporum Galliae anni 1942 approbavit missionem cappellanorum qui clandestinam curarent assistentiam religiosam 2.300 seminaristarum et 8.000 iuvenum catholicorum illum exercitum integrantium (*Service du Travail obligatoire*). Die 5 martii 1943 Godin et Daniel submitterunt cardinali Suhard inanuscriptum libri divulgandi mense septembri sub titulo *France, pays de mission?* Iulio anni sequentis fundatur Missio Parisiensis.

Ratio autem experimenti fuit quod ingens classis operariorum in Gallia erat a Christo eiusque Ecclesia longe, quoniam Ecclesiam atque clerum aestimabat adversos classi proletariae. Oportebat igitur sacerdotes penetrare hanc classem operariam, laborantes et commorantes penes operarios, operariis similes effecti. Hoc pacto fierent conscii difficultatum omnium quas operarii opponunt regressui ad Ecclesiam, obtinerent operariorum fiduciam quorum solverent quotidiana problemata ad Ecclesiae doctrinam sociale, operarios sensim sine sensu Eccle-

siae lucrarentur, aut saltem testimonium praeberent de Ecclesiae inter operarios praesentia et de possibilitate practica vitae Christianae inter laborem

At multa pericula circumstabant novos apostolos —qui prius *sacerdotes operarii* dicti sunt, postea *sacerdotes Missionis operariae*—, v. gr. labor in fabricis, in portibus, in navalibus, etc., quandiu protraheretur per totam diem, non erat compossibilis cum vita atque officiis sacerdotalibus; sacerdos vitam intimam gerens cum classe operaria eiusque problematum sollicitus, facile exponebatur ut cogitaret non aliter ac operarii ipsi de rebus syndicalibus et socialibus, partem sumeret in eorum vindicationibus, et in lucta classium¹. Haec pericula maxime subibant seminaristae, qui operariis commiscebantur vacationum tempore.

149 Hinc quod die 5 aprilis 1951 episcopi habentes in suis dioecesibus sacerdotes-operarios redigerent quandam Regulam, insistentes in Officii recitatione, oratione mentali, lectione Scripturae, vetito se immiscendi quaestionibus operariorum temporalibus, etc. Haec Regula nonnullas provocavit reactiones. Mense iunio S. Sedes prohibuit ne numerus augetur sacerdotum-operariorum.

Anno 1953 S. Sedes vetuit laborem aestivum seminaristis, et petiit ab episcopis et superioribus religiosis ut revocarent a suscepto apostolato subditos, quod labor per totam diem erat inadmissibilis³.

¹ Videsis Loew, *Journal d'une Mission Ouvrière 1941-1959*, ed. du Cerf, Paris, 1959.

² Die 26 mal! 1952, in manifestatione contra Gen. Ridgway Parisios habita, duo sacerdotes-operarii, qui cum operariis partem sumpserunt, detenti sunt atque atrociter percussi ab ordinis publici militibus.

³ Ista S. Sedis praescriptio plurimum excitavit rebellionem. Si ad finem anni 1956 quadraginta sacerdotes-operarii e clero saeculari submissionem fecerant, manebant circiter alii quadraginta labori addicti, quorum viginti convolarunt ad nuptias—malentes pergere uti operarii quam ut sacerdotes.

Anno 1958 episcopi Galliae agnoscunt laborem sacerdotum inter operarios, si ad tres horas per diem restringitur, non respondere apostolatu intento; ministerium quoque pastorale ordinarium stare non posse cum hoc apostolatu.

Mense aprili 1959 card. Feltin relationem amplam misit Romam; mense iunio ipsemet Romam venit. Die 3 iulii Card. Pizzardo subscribebat litteras S. Officii quibus finis imponebatur experimento sacerdotum labori addictorum.

Casus primus.

Inter epulas diei festi Patroni in domo parochi Tarcisii, conversatio sat accensa facta est inter sacerdotes et quosdam laicos actionis catholicae convivantes, circa experimenta sacerdotum operariorum in Gallia, de quibus eo tempore ephemerides abundantius scripserunt. 150

Iulius, coetus iuvenilis actionis catholicae praeses, entusiasmo approbant illud experimentum ut solam viam evangelizationis operariorum in fabricis industrialibus, non dubitat crisi subicere interventum auctoritatum Hierarchiae ad terminum ponendum experimento.

Parochus acerbe increpat atque severe redarguit Iulium coram omnibus, quasi locutus sit ex fumis vini, ob scandalosam criticam factam auctoritatibus competentibus ecclesiasticis.

Quaeritur:

1) Num possit haec recte dici unica via ad evangelizandos operarios.

2) Quid de ratione agendi iuvenis Iulii et parochi Tarcisii.

Solutio

151 *Ad Ium.*—Negative, ut patet ex litteris Card. Pizzardo (3 iulii 1959) primo editis a *Le Monde*, 15 sept. 1959: «S. Sedes existimat innecessariam esse pro classis operariae evangelizatione missionem sacerdotum instar operariorum inter operarios... Sacerdos etenim essentialiter ordinatus est ad functiones sacras exercendas, id est ad offerendum Deo sacrificium Missae et orationem publicam Ecclesiae atque ad fidelibus tum ministranda sacramenta tum Dei verbum proponendum. Omnis alia activitas sacerdotis debet his functionibus subordinari, saltem ab his profluere veluti fructus practicus; quidquid cum illis sit impossibile, totum est a sacerdotis vita excludendum. Nullum profecto dubium quin sacerdos, quem ad modum apostoli, sit revera testis (cf. Act. 1, 8), verum testis resurrectionis Christi (cf. Act. 1, 22) ideoque Christi missionis divinae et redemptricis. At imprimis testis sit verbo, non autem labore manuali inter operarios et instar operariorum exercito» \

Immo nedum possit dici unica via, apostolatus ille non est via optima. Iam Pius XI in enc. *Quadragesimo anno*: «Ut integrae hae hominum classes ad Christum, quem negarunt, reducantur, ex iis ipsis seligendi sunt et formandi auxiliares Ecclesiae milites, qui illos iliorumque mentes et optata bene norint, qui in eorum corda suavi quadam fraterna caritate penetrare possint. Primi et proximi nimirum opificum apostoli, opifices sint oportet;

1 Idlpsum episcopi galli in declaratione diei 19 Ianuarii 1954: «L'Eglise veut, avant tout, sauvegarder ce qui constitue la mission propre du prêtre. Or, le prêtre est consacré pour offrir à Dieu l'adoration du peuple tout entier, en premier lieu par la célébration de la Sainte Messe et la prière publique du bréviaire, n'est aussi, auprès des hommes, le dispensateur des bienfaits divins par la prédication de la parole de Dieu et l'administration des sacrements...» *Comm. pro Religiosis*, 35 [1954], p. 44).

apostoli vero inter artificii commerciique asseclas, ex iisdem hominibus esse debent»¹. Et in enc. *Divini Redemptoris*: «His (catholicis opificibus)... est apprime conandum ut ad Ecclesiam Deumque ipsum ingentes sui ordinis multitudines revocent»².

Quapropter Card. Pizzardo evangelizationem classis operariae proponit fieri per adseclas actionis catholicae specializatos pariter ac aptos, v. gr. per luventutem Operariam Catholicam (JOC) et per Actionem Catholicam Operariam (ACO); immo ab Institutis saecularibus in hunc finem condendis. De his Institutis ipsemet: «In ista nova forma missionis operariae, sacerdotes habebunt influxum momentosum et efficacem. Suis enim sociis laicis instructionem dabunt religiosam et formationem spiritualem exquisitam atque eorum tum statui vitae tum operariae condicioni accomodam. Facient ut hi melius in dies cognoscant doctrinam sociale Ecclesiae, praecipue circa problemata laboris... Post contactus habitos ab ipsis membris laicis Institutorum saecularium, sacerdotes poterunt incipere ministerium pastorale inter operarios, extra fabricam, apud familias parvulosque... Praesertim post captam fiduciam operariorum per contractus praedictos, poterunt, sensim sine sensu, illas animas vincere ad supernaturalem veritatem easque ad Christianae vitae praxim perducere».

Ad Illum.— Bene intellegitur iulius iuvenis elatus entusiasmo ad probandum illud experimentum: agitur enim de experimento quod non modo iuniores sed et ceteros movet qui de evangelizatione classis operariae sunt solliciti³. Debuit tamen scire, ex citatis documentis Se-

¹ AAS, 23 (1931). p. 225 s.

² AAS, 29 (1937), p. 101.

³ Pridem S. Congr. de Seminariis (27 iulii 1953) quoad apostolatam seminaristarum inter operarios: «Certes, on peut le croire, il est sincère

dis Apostolicae, non agi unicam viam, immo nec viam optimam. Debuit pariter prae oculis habere submissionem Hierarchiae ecclesiasticae debitam ab omnibus fidelibus et praecipue cum ab adseclis, tum maxime a praesidibus actionis catholicae, qui profitentur collaborare cum Hierarchia et propterea abstinere ab huius interventu in crisim revocando; praecipue quod agebatur experimentum, subditum propterea ulteriori sive confirmationi sive reprobationi.

Et si quidem Iulius coram omnibus protervum et scandalosum iudicium tulit de ecclesiastico huiuscemodi interventu, parochus Tarcisius bene fecit ipsum acerbè increpans et severe redarguens coram omnibus, quasi locutus fuisset ex fumis vini. At si quae Iulius protulit sunt potius tribuenda aetati iuvenili, levitati, ignorantiae, tunc parochus caritative ac suaviter debuit potius eas producere rationes quibus Hierarchia permota fuit ad finem imponendum experimento, cuius confirmatio aut reprobatio uni subiacebat temporum experientiae, abstinens non modo a verbis contumeliosis verum etiam a minuenda communi aestimatione qua praeses coetus iuvenilis actionis catholicae indigebat ut pergeret cum fructu laborare in hoc egregio munere.

le zèle qui anime de telles expériences apostoliques; ces séminaristes obéissent au saint désir d'atteindre un monde si éloigné et pourtant si avide de l'idéal chrétien. On ne peut non plus mettre en doute la bonne foi de ceux qui, angoissés par le triste spectacle d'une société affreusement étrangère à l'influence de l'Église, s'étudient à découvrir de nouvelles méthodes d'apostolat...» (*Comm., pro Relig.*, l. c., p. 42). De facto 19 seminaristae recusarunt anno 1953 subdiaconatum quoniam episcopi se adstringere noluerunt ad illos huic apostolatu dedicandos.—Sed vel ingens numerus sacerdotum operariorum (fere 300), ex clero regulari ac saeculari, eloquens exhibet testimonium de communi plausu; ipsae censurae, denique, quibus nonnulli clerici atque laici, imitatores Iulii nostri, in Ecclesiae interventum invexerunt.

Alii casus.

C. II.—Improperat Theodosius S. Sedi quod praepere 154
pere finem imposuerit sacerdotum operariorum aposto-
latui.

Sol.—Hic apostolatus duplicem veluti formam induit:
aliam, ab initio usque ad annum 1953, laboris videlicet
illimitati seu per totam diem; aliam ab anno 1954, la-
boris limitati ad tres tantum horas. Porro quoad primam
formam tum S. Congr. de Seminariis tum declaratio
Cardenaliū Galliae loquuntur de protracta satis expe-
rientia suadente illam formam apostolatus sustineri non
posse ¹. Alteram autem omnes improbabant veluti scopo
ineptam²; adeo ut in litteris Card. Pizzardo (3 iulii 1959)
mentio fiat de Card. Feltin novis precibus pro sacerdo-
tum operariorum labore illimitato ³. Non egit propterea
S. Sedes cum praecipitatione, sed in primo casu expec-
tavit per decem annos; in altero fecit suam communem
firmatamque persuasionem.

C. III.—Andreas non approbat prohibitionem factam 155
seminaristis a S. Congr. de Seminariis (27 iulii 1953) ne

¹ Quoad apostolatum seminaristarum: «Les quelques années d'ex-
périence autorisent maintenant, après des constatations documentées, à
dire que de telles initiatives manquent leur but; bien plus elles appor-
tent plutôt des résultats négatifs pour la formation de jeunes clercs, et,
à cause de cela, leur application ultérieure est à déconseiller» (S. Congr.
de Seminariis, 23 iulii 1953; *Comm. pro Rclig.*, l. c., p. 42).—Quoad apo-
stolatum sacerdotum: «Après dix ans d'existence, l'expérience des prê-
tres-ouvriers, telle qu'elle à évolué jusqu'à ce jour, ne peut être main-
tenue dans sa forme actuelle» (Declaratio Cardinalium Galliae, 13 nov.
1953; *Comm. pro Rclig.*, l. c., p. 43).

² Hoc maxime patet ex protestationibus factis contra novam hanc
formam.

³ «La note remise par Votre Eminence demande que des prêtres choi-
sis par leur évêque, bien préparés, soutenus par une vie sacerdotale
authentique et unis au clergé paroissial, puissent travailler en usine à
plein temps et non plus seulement trois heures par jour».

η
■

M

'I

d

Jj1

£

lt

ft

■

■

H

IIH

laborarent instar operariorum cum operariis tempore aestivo. Putat enim hoc esse necessarium ut sacrorum alumni ponantur in contactu cum vita practica.

Sol.—Huic obiectioni obviavit ipsa S. Congregatio in praedictis litteris: adaequata cognitio vitae practicae potest dari seminaristis ab ipsis Seminarii educatoribus durante anno scholastico et a parochis per aestivas illas vacationes \ Aliunde solers Seminarii recollectio et segregatio discrimini committuntur si vacationum tempore iuvenes convivant operariis operariorum instar.

156 *C. IV.*—Eleuchadius decisioni S. Officii (3 iulii 1959) opponit quod si labor inter operarios non vacat a periculo pro sacerdotibus, a fortiori pro laicis; quapropter non esse committendus laicis apostolatus qui sacerdotibus interdicitur.

Sol.—Quae apostolatus ille parit pericula sacerdotibus non parit laicis ex aequo. Hi non tenentur ad tantam quantam illi orationem, lectionem vel studium. Sacerdotes ad hoc sunt ordinati ut Missam celebrent, sacramenta ministrent, praedicent evangelium; parentis animum tenentur sumere erga omnes, operarios atque patronos—nec operariorum postulata sunt semper aequa—. Prout in corpore sociali et naturali, sic in corpore Christi mystico «multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent» (Rom. 12, 4).

1 «Grâce à l'oeuvre assidue et constante de sages éducateurs capables de mettre les séminaristes graduellement en contact avec la vie sans compromettre leur formation proprement ecclésiastique, nous pensons qu'il est possible, aujourd'hui encore, de former des apôtres authentiques à la hauteur des devoirs plus difficiles et spécifiques de l'évangélisation moderne. On ne doit pas oublier la précieuse collaboration du curé qui est l'auxiliaire naturel du Séminaire dans la formation des clercs: c'est lui qui, sous sa responsabilité directe pendant les vacances, avec une vigilante prudence, aura soin d'initier les jeunes clercs aux différentes formes de l'apostolat» (Comm, pro *Religiosis*, l. c., p. 42).

C. V.—At saltem Eleuchadius instat, laici qui laborent 157
inter operarios facile condescendent, faciliusque quam
clerici, mentalitati materialisticae operariorum.

Sol.—Condescendentia huiusmodi faciliior penes lai-
cos est multo perniciosior penes clericos; qui erunt ho-
mines per quos ab istis error auferatur, ipsos cum elegerit
Deus per quos errores auferat ceterorum? \

C. VI.—Quasi rei novitate Euthymius commovetur de 158
consilio dato a Card. Pizzardo (152) committendi aposto-
latum inter operarios membris Saecularium Instituto-
rum et Actionis Catholicae; eo vel magis quod hac ra-
tione agendi non vitaret Ecclesia quominus sententiae
vel erroneae vel inopportunae ab his et illis collatae in
materia sociali atque politica sibi ab adversariis impu-
tentur; immo si membra illa partem assumant in lucta
classium, tum Instituta Saecularia tum Actio Catholica
subibunt detrimentum.

Sol.—Imprimis, nulla agitur novitas; de his enim
Institutis Pius XII dixerat: «Ex felici horum Instituto-
rum incremento in dies clarius apparuit quam multiplici
respectu eadem in efficax Ecclesiae et animarum subsi-
dium verti possent... ad impensam familiarum, profes-
sionum ac civilis societatis Christianam renovationem
per contactum intrinsecum et quotidianum cum vita per-
fecte et omnino sanctificationi consecrata; ad multiformem
apostolatam et ad ministeria exercenda locis, tem-
poribus et rerum adiunctis sacerdotibus religiosisque
vetitis, vel imperviis, haec Instituta adhiberi et converti
facile possunt» Nec est cur Ecclesiae imputentur eorum
vel Actionis Catholicae membrorum aberrationes, nam
etsi Ecclesia tradat ipsis doctrinam sociale et politi-

1 S. Augustinus, *de Serm. Domini in monte*, lib. 1. cap. 6; PL 34. 1237.

' Pius XII, Const. apost. *Provida Mater*, AAS, 39 (1947), p. 118.

cam, eis attamen relinquit applicationem ad casus practicos (290 n); igitur si de doctrina respondet Ecclesia, de applicatione inopportuna aut falsa ipsi apostoli respondere debent. Qui nec descendunt in classium luctam quatenus membra sive Institutorum Saecularium sive Actionis Catholicae, sed dumtaxat quatenus operarii; quapropter detrimentum subeunt sodales, potius quam sodalicium.

VIII. PAROCHORUM OBLIGATIONES

Doctrina.

159 «Parochus est sacerdos vel persona moralis cui paroecia collata est in titulum, cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda. Parochis aequiparantur cum omnibus iuribus et obligationibus paroecialibus et parochorum nomine in iure veniunt: 1.º Quasi-parochi, qui quasi-paroecias regunt, de quibus in can. 216, § 3; 2.º Vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti» (can. 451, §§ 1-2).

In genere: «Parochus ex officio tenetur curam animarum exercere in omnes suos paroecianos, qui non sint legitime exempti» (can. 464, § 1).

Quapropter debet: residere intra paroeciae limites, ita ut facile adiri queat (can. 465); applicare Missam pro populo (cf. 110 ss.); administrare Sacramenta legitime petentibus¹; verbum Dei praedicare et catechetica cu-

¹ Can. 467, § 1.—«Parochi alique quibus cura animarum vi muneris est demandata, gravi iustitiae obligatione tenentur audiendi sive per se sive per alium confessiones fidelium sibi commissorum, quoties ii audiri rationabiliter petant» (can. 492, § 1).

«Qui habet curam animarum tenetur procurare earum salutem, etiam quando non est extrema necessitas. V. g., est pestis: curatus tenetur

rare institutionem; curam habere tum pauperum tum infirmorum (can. 467, § 1; 468, § 1); errantes corrigere prudenter (can. 467, § 1); diligenter advigilare ne quid in sua paroecia, in scholis praesertim, contra fidem sive mores tradatur (can. 469); opera caritatis, fidei ac pietatis fovere et instituere (ib.); libro paroeciales habere, accurate conficere et diligenter asservare (can. 470, § 1).

Quod ad singulorum sacramentorum administratio- I00
nem haec Prümmer compendiose: «Quoad Baptismum parochus debet curare a) ut infantes quam primum baptizentur, et de hac obligatione fideles monere; b) ut fideles, praesertim obstetrices et medici, addiscant rectum baptizandi modum; c) ut baptizandis Christianum nomen imponatur. Quoad Confirmationem parochus debet curare ut fideles oportuno tempore ad eam accedant. Quoad Eucharistiam parochus debet curare ut nec pueri indispositi ad eam accedant, nec dispositi abstineant; ut fideles frequenter, immo et cotidie, ad eam accedant; ut observentur leges liturgicae de asservatione Eucharis-

assistere illis in communicatione sacramentorum» (Vitoria, in *II-II*, 26. 5; ed. Beltr&n de Heredi?).—«Pastores animarum, ut Episcopi et parochi. tenentur etiam cum periculo vitae succurrere subditis in gravi necessitate spirituali constitutis» (Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I. 351, cd. 1939).—«Parochus et omnes qui habent curam animarum tenentur animam suam ponere pro ovibus suis..., nedum in extrema, sed etiam in gravi necessitate spirituali versantibus» (Fanfani, *Th. Mor.*, II. 101),

«Die 11 Octobris 1576. S. C. (Concilii) censuit: Parochos tempore pestis... teneri... parochianis suis peste laborantibus ministrare dumtaxat duo sacramenta ad salutem necessaria, nempe Baptismum et Paenitentiam seu Confessionem; die vero 12 Octobris, SSmus (Gregor. XIII), audita sententia Congregationis, eam approbavit. Sed cum postea fuisset reperta decisio archiepiscopi Florentini (scii. S. Antonini in eius *Summa*)...; et dubitari posset quid agendum, cum hic Sanctus simpliciter sacramenta dicat nec se restringat ad duo, res tota ad SSmum delata est. Die 26 Octobris 1576... Sanctitas Sua inclinavit in eam sententiam, ut littera scribenda indistincte dicat sacramenta, et decretum sic esse concipiendum: Teneri omnino ministrare Baptismum et Paenitentiam, et loco dictionis *dumtaxat*, apponendam dictionem *omnino*» (Gaude, in S. Alphonsus, *Th. Mor.*, VI. 233, nota).

tiae, de celebratione Missae, etc. Quoad Paenitentiam parochus debet praesto esse fidelibus, volentibus peccata confiteri, quoties ii audiri rationabiliter petunt. Quoad Extremam Unctionem parochus debet curare ne fideles sine ea decedant, ut olea sacra ab Ordinario petantur et diligenter asserventur. Quoad Ordinem parochus debet rite facere praescriptas publicationes, transmittere litteras testimoniales de moribus ordinandi. Quoad Matrimonium debet facere examen sponsorum, publicare banna et generatim bene praeparare sponso ad hoc sacramentum digne suscipiendum» x.

161 De praedicatione, ipse Codex: «Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto proprium cuiusque parochi officium est, consueta homilia, praesertim intra Missam in qua maior soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare². Parochus huic obligationi nequit per alium habitualiter satisfacere, nisi ob iustam causam ab Ordinario probatam. Potest Ordinarius permittere ut sollemnioribus quibusdam festis aut etiam, ex iusta causa, aliquibus diebus dominicis concio omittatur» (can. 1344). «Ordinarii adviligent ut, saltem decimo quoque anno, sacram, quam vocant, missionem, ad gregem sibi commissum habendam parochi curent» (can. 1349, § 1).

De instructione pariter catechetica: «Debet parochus: 1.º Statis temporibus, continenti per plures dies institutione, pueros ad sacramenta paenitentiae et confirmationis rite suscipienda singulis annis praeparare; 2.º Peculiari omnino studio, praesertim, si nihil obsit, Quadra-

1 Prümmer, *Man. I. Eccl.*, q. 156. ed. 1920.

1 «Non excusantur a mortali parochi, qui per unum mensem continuum. vel per tres menses discontinues per se vel per alium non praedicaverint... Quandoque legitima datur consuetudo tempore feriarum (v. gr. mense Septembris) omittendi concionem. Non excusantur quoque a mortali parochi qui praedicationem facere solent capacitati audientium minime accommodatam» (Marc, *Inst. Mor.*, II, 2269, ed. 1927).

gesimae tempore, pueros sic instituere ut sancte Sancta primum de altari libent» (can. 1330). «Praeter puerorum institutionem de qua in can. 1330, parochus non omittat pueros, qui primam communionem recenter receperint, uberius ac perfectius catechismo excolere» \ «Diebus dominicis aliisque festis de praecepto, ea hora quae suo iudicio magis apta sit ad populi frequentiam, debet in super parochus catechismum fidelibus adultis, sermone ad eorum captum accommodato, explicare» (can. 1332). Videsis Decretum S. C. Concilii (12 Ian. 1935) de catechetica institutione impensius curanda et provehenda (AAS, 27 [1935], pp. 145 ss.).

C a s u s p r i m u s .

Optatianus parochus, quem hucusque fideles omnes 162
uti patrem considerabant, videt nunc patronos et operarios
luctae classium intentos. Utamque partem cum componere nequeat,
spiritu deprimitur et corporis viribus senescentibus se ineptum
putat novis paroecialis vitae condicionibus atque cogitat de officio
paroeciae abrenuntiando in manibus episcopi. Simul attamen timet
ne, renuntiato beneficio, necessariis vitae privetur.
Quid dicendum?

Solutio

Parochus noster videtur pusillanimis; eo etenim ipso 163
quod fideles hucusque eum uti patrem considerarunt, gaudet
auctoritate qua patronos et operarios satagat ad

» Can. 1331.—«Parochus in religiosa puerorum institutione potest, imo, si legitime sit impeditus, debet operam adhibere clericorum, in paroeciae territorio degentium, aut etiam, si necesse sit, piorum laicorum, potissimum illorum qui in pium sodalium *doctrinae Christianae* aliudve simile in paroecia erectum adscripti sint» (can. 1333, § 1).

invicem componere; se igitur fortitudine atque patientia muniat nec laborem recuset; eius consilium et conatus utrique parti contendentium proderunt; etiamsi concordiam mutuam non obtineat in omnibus, obtinebit saltem in pluribus.

Si tamen Optatianus non sit revera aptus hodiernis paroeciae conditionibus, tunc forsitan satis esset si ab episcopo peteret vicarium adiutorem (can. 475), maxime quod cum ab omnibus habeatur bonus pastor, utilem adhuc possit operam conferre. Ubi nec huiusmodi remedium efficax, laudandus est de cogitata ab officio abrenuntiatione. Valent enim de parrocho quae D. Thomas protulit de episcopo: «Tandiu obligatur ad hoc quod curam pastoralem retineat, quandiu potest subditis sibi commissis proficere ad salutem... Contingit tamen quandoque quod episcopus impediatur procurare salutem subditorum, multipliciter. Quandoque quidem propter proprium defectum, vel conscientiae...; vel etiam corporis, puta si sit senex vel infirmus; vel etiam scientiae, quae sufficiat ad curam regiminis» \

Hanc vero renuntiationem faciendam esse in manibus episcopi tum sacri volunt canones (can. 187), tum ipsa ratio dictat: «Oportet quod, sicut curam regiminis assumit aliquis per providentiam superioris praelati, etiam per eius auctoritatem, ex causis praedictis, deserat susceptam» 3.

164 Nec est cur timeat ne deficient sibi necessaria vitae. Episcopus enim providebit, cum agatur renuntiatio, non amotio; et renuntiatio propter bonum fidelium, non ob propriam culpam. Providebit autem vel dans ipsi magis pacificam paroeciam, vel conferens beneficium sine cura animarum, vel ex redditibus beneficiorum vacantium, vel alia via.

i S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 185, 4.

» Id., Ib.

Si nec episcopo fedit, renuntiationem quam cogitat faciat sub condicione (can. 2150. § 3), id est sub pensionis reservatione ad vitam. Ad dubium etenim: «Utrum loci Ordinarius possit admittere renuntiationem paroeciae cum reservatione pensionis ad vitam pensionarii super beneficio paroeciali in favorem parochi renuntiantis», Commissio Codicis respondit (20 maii 1923): «Affirmative, firmo praescripto can. 1429, § 2» J.

A lii casus.

C. II.—Theoticus parochus abfuit illegitime a paroecia ultra duos menses sibi concessos can. 465. Casu et leviter legens can. 2381 evolat ad theologum petens num privatus sit beneficio, omnibus saltem beneficii fructibus et num hos fructus restituere valeat Missas applicans pro paroeciae defunctis. 165

Sol.—Leviter profecto legit Theoticus can. 2381, cum ibi privatio beneficii sit poena solummodo ferenda et quidem ad normam can. 2168-2175. Sed fructuum privationem incurrit ipso facto, prae Ordinarii qualibet sententia; privationem attamen fructuum, pro rata illegitimae absentiae, non omnium sed respondentium oneri residentiae—habet enim alias, praeter residentiam, obligationes, quibus supponimus eum satisfecisse—. Illam ergo portionem fructuum tenetur tradere Ordinario «qui ecclesiae vel alicui pio loco vel pauperibus distribuat» (can. 2381, 1.^o). Restitutionem ergo ipse facere nequit Missas applicans pro paroeciae defunctis «quia revera animae defunctorum non possunt amplius dici pauperes loci illius» 2.

1 AAS, 16 (1924), p. 116.

2 S. Alphonsus, *Th. Mor.*, IV, 128, ed. Gaudé.

166 C. III.—Gracilianus parochus ad determinatos dumtaxat dies iubet expectare fideles qui confessionem petunt. Peccatne graviter?

Sol.—Respondet Fanfani: «Graviter peccaret parochus qui solum statis diebus, e. g. una alterave die in mense, vel solum diebus festivis se paratum exhiberet ad Confessiones excipiendas; nisi forsan fideles alibi commode occasionem confitendi invenire possent; sane hac agendi ratione grave damnum spirituale fidelibus oriri potest, cum alii in statu peccati, alii in gravi tentatione esse possint, alii forte peculiare indulgentias intra hebdomadam lucrari desiderant; insuper frequentia Sacramentorum, quae maxime desiderabilis est, hoc modo impeditur. Facilius tamen excusabitur parochus a peccato, saltem mortali, quando subditi Sacramenta petunt ex sola devotione, quam in casu quo petant quia sunt in peccato mortali... Non peccat graviter parochus qui tempore opportuniori, absque gravi incommodo petentium, Sacramentorum administrationem in communibus casibus remittit» \

167 C. IV.—Datus parochus omittit moribundis legere commendationem animae; eius contra vicarius eam legit immediate post Extremae Unctionis administrationem, timens ne non amplius vocetur ad aegrotum.

Sol.—Habitualiter omittere, sine causa, commendationem animae puto peccatum esse grave; non attamen si omittatur semel aut iterum. Eam legere statim post Extremam Unctionem, nemo tenetur, etsi timeat iterum non vocari; licet tamen. Sic Regatillo¹

168 C. V.—Romaricus parochus concionem dominicis et festis diebus saepe omittit, vel quia rari intersunt audi-

¹ Fanfani, *Th. Mor.*, IV, 32.

² Regatillo, *Casos Canônicos*, I, 361 s., ed. 1957.

tores, vel quia in proximis ecclesiis conciones habentur. Hinc etiam fere numquam concionem ad populum habet tempore Quadragesimae, tempore Adventus et sollemnioribus quibusdam festis, quia alibi sunt plures et insignes praedicatores.

Sol.—Ad hunc casum Bucceroni: «Romaricus male agit et graviter deest suo officio. Neque excusatur ex eo quod exiguus sit populi numerus, vel ex eo quod conciones in aliis ecclesiis habeantur. Hinc graviter etiam peccat omittens tempore Quadragesimae et Adventus, quia non desunt in aliis pluribus ecclesiis conspicui concionatores... Tandem Romaricus etiam officio suo non satisfacit concionem omittens sollemnioribus festis diebus, nisi ab episcopo dispensationem obtinuerit» l.

C. VI.—Galdinus, parochus, in Missa paroeciali homiliam ad populum diebus dominicis ac festis habet; in alia autem Missa (nam binare debet) explicat adultis catechismum. Damasus vero in eadem Missa utramque praedicationem habet, primum quidem homiliam, statim vero explicationem catechetica pro adultis. Gaudentius vero catechismum pro adultis habere solet tempore vespertino; nam id ipsi necessarium videtur ut praecipuum Codicis adimpleatur. 169

Sol.—«Ex Codice nihil prohibet quominus Galdinus, Damasus et Gaudentius in suo modo explicandi adultis catechismum perseverent, si haec hora ipsis aptior videatur, non pro commoditate propria parochi, sed pro maiori concursu fidelium. Certe contra Galdinum poterit quis obicere quod illi qui in una Missa homiliam audiant, non venient ad audiendam explicationem catechisticam in alia Missa, et viceversa quoad homiliam; et sic magna pars populi vel homiliam non audient vel

l Bucceroni, *Casus Conse.*, I. 104/1, ed. 1913.

instructionem catechetica; sed forte ille respondebit quod, si omnia faciat in eadem Missa vel vespere, nullus fere conveniet, vel quia res nimis longa in eadem Missa deveniet, et fideles non ad illam audiendam sed ad aliam accedent, vel quia fideles suae paroeciae facile in Missam conveniunt, vix tamen adduci poterunt ut vespere iterum ecclesiam frequentent. Et similes difficultates et responsa occurrere possunt respectu Damasi et Gaudentii. Igitur ipsi imprimis indices esse debent... Ordinarii tamen erit eos corrigere, si in aliquo hac in re aberrent. Cfr. can. 1336». Ita Ferreres

Huc e superioribus voluminibus Casii accedant: Parochus qui devotionem serotinam urget et qui ab ipsa fideles dehortatur (I, 202); An liceat parochus catholico funera comitari haereticorum vel schismaticorum (II, 100); Parochus perpetuo praedicans caritatem (II, 305 ss.); Num teneatur parochus iura stolae remittere ne parochiani obtreptionibus indulgeant (II, 402); Quid parochus agendum, si medicus suadeat embryotomiam (III, 145); Obsoletas casulas et pluviam cedens familiae pauperi (III, 439); Vendens omissionem administrationis sacramentorum (III, 446).

IX. INTERROGATIONES A CONFESSARIO FACIENDAE

Doctrina.

170 «Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se iudicis pariter et medici personam sustinere ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo consti-

1 Ferreres, *Casus Conse*, H. 84, ed. 1926.

tutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat» (can. 888, § 1).

Ut iudex, debet interrogare paenitentem de iis quae ad integritatem confessionis requiruntur (I, 140), quaeque paenitens non aperit sponte. Haec igitur confessarii obligatio est subsidiaria obligationi paenitentis—tenetur nempe in huius defectu—, nec propterea se extendit ultra. Quoniam tamen agitur de integritate ex praecepto divino necessaria, obligatio exstat gravis quoad peccata mortalia. Disputatur attamen utrum in longa serie peccatorum peccet graviter confessarius qui unam vel alteram interrogationem praetermittat. «Ergo improbanda est praxis eorum qui numquam paenitentes interrogant, immo nec sinunt eos confessionem ad exitum perducere; sed, paucis peccatis auditis, statim absolutionem impertiuntur» \ Nec excusat magnus concursus paenitentium; fuit enim damnata ab Innoc. XI propositio: «Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus paenitentium, qualis, verbi gratia, potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae» (Denz. 1209).

Ut medicus, cuius est mederi infirmitatibus, debet interrogare paenitentem de peccandi consuetudine et occasione proxima ², saltem ut inde sciat num intersit habitus eradicandus vel occasio vitanda. «Hac in re plures confessarii errant, et inde multarum animarum ruina provenit; omittendo enim huiusmodi interrogationes, Confessarius omittit quoque recidivis tradere media opportuna ad evellendum habitum et occasionem» ³.

¹ Fanfani, *Th. Mor.*, IV, 372.

■ Innoc. XI has quoque damnavit propositiones: «Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem. Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin immo directe et ex proposito quaerit aut ei se ingerit» (Denz. 1208, 1211).

³ Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, II, 441, ed. 1939.

171 Docent communiter Auctores interrogationes a Confessario faciendas moderate, discrete et opportune.

Moderate, id est: *a)* non de rebus extraneis confessioni; *b)* neque de omnibus peccatis quae paenitens committere potuit, sed de iis quae probabiliter commisit, ad cuiusque aetatem, condicionem, officium.

Discrete, id est: *a)* vitando omnia quae tum paenitenti tum sibi quoque facile vertuntur in scandalum; *b)* praecipue circa sextum Decalogi praeceptum, ne paenitentem doceat quae hic ignorat, eius vel excitet curiositatem aut forsan suspicionem de malitia et curiositate propria; *c)* procedendo a quaestione generali ad particulares, a peccatis minoris gravitatis ad graviora, v. gr. interrogans de modestia priusquam de castitate, de pravis cogitationibus et verbis priusquam de tactibus.

Opportune seu tempestive, id est: *a)* initio confessionis, si paenitens, ignotus, haec non sponte panderit, a quo tempore confessus sit, quis eius status et officium; *b)* decursu confessionis, de numero et specie peccatorum, de circumstantiis speciem mutantibus, de consuetudine et occasione; breviter attamen ne paenitens obliviscatur peccatorum quae declarare cogitabat—ob hoc immo periculum, quaestiones quae respiciunt unum tantum vel alterum peccatum aut ex memoria confessarii non excident, aptius remittuntur ad finem confessionis—; *c)* post confessionem, de aliis peccatis probabiliter commissis nec tamen accusatis.

Casus primus.

172 Theonestus, parochus, matres familias pauperes, etsi graviter suspicetur onanismo addictas, numquam de abusu tamen matrimonii interrogat, quod hae mulieres moralem deordinationem non percipiant vel etsi percipiant, haud cogitent eam sibi imputari posse ex domesti-

cis circumstantiis; ideoque quod si de abusu matrimonii interrogarentur, a peccato materiali ad formale adducerentur. Suam immo praxim commendatam habet ex novo decreto S. Officii, diei 19 maii 1943,

Quaeritur:

- 1) Quaenam sint normae in hoc Decreto traditae?
- 2) Quid ad casum.

Solutio

Ad Ium.—Normae traditae a S. S. Congr. S. Officii de 1³ agendi ratione confessoriorum circa VI Decalogi praeceptum sunt huiusmodi:

«Codex I. C. peropportune monet ne confessarius curiosis aut inutilibus quaestionibus, maxime circa VI Decalogi praeceptum, quemquam detineat, et praesertim ne iuniores de iis quae ignorant imprudenter interroget (can. 888, § 2). Porro inutiles quaestiones sunt quae supplendae paenitentis accusationis eiusdemque animi dispositionibus cognoscendis minime necessariae demonstrantur. Paenitens enim iure divino tenetur dumtaxat omnia et singula peccata gravia post Baptismum commissa et nondum per claves Ecclesiae directe remissa, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat, confiteri et circumstantias in confessione explicare quae speciem peccati mutant, modo tamen specificas huiusmodi malitias peccando cognoverit, ac proin contraxerit. Haec igitur tantum confessarius per se a paenitente sciscitari tenetur, si rationabiliter suspicatur eadem bona vel mala fide in confessione praetermissa fuisse; et si quando contingat cuiusdam paenitentis examen ex toto supplendum esse, non ultra prudentis coniecturae modum, attenta paenitentis condicione, percontando, progrediatur.

Omittendae igitur sunt, utpote inutiles, molestae atque in hac re periculi plenae, interrogationes de peccatis quorum nulla cadit in paenitentem positiva atque firma suspicio; item de peccatorum speciebus quas haud verisimile est ipsum contraxisse; de peccatis materialibus, nisi ipsius paenitentis bonum vel avertendum mali communis periculum monitionem postulet vel suadeat; item de circumstantiis moraliter indifferentibus, atque praesertim de modo quo peccatum commissum est. Quin immo si paenitens sponte, seu prae inscitia seu prae scrupulis seu tandem prae malitia, in explicandis luxuriae peccatis vel tentationibus modum excedat aut pudicitiam verbis offendat, id confessarius prudenter, at prompte ac fortiter, cohibere ne omittat.

174 Meminerit insuper confessarius divinum de confessionis integritate praeceptum cum gravi paenitentis vel confessarii damno, quod sit confessioni extrinsecum, non urgere; ac proin quoties vel paenitentis scandalum vel ipsius confessarii ruina in interrogatione prudenter timeatur, eadem abstinendum esse. In dubio vero, commune doctorum monitum sit semper menti defixum, hac in re melius esse deficere quam cum ruinae periculo excedere.

Tandem confessarius, interrogando, cautissime procedat, propositis prius generalibus quaestionibus, ac postea, si casus ferat, magis definitis interrogationibus. Hae tamen semper sint breves, discretae, honestae, devitatis prorsus locutionibus quae phantasiam vel sensum moveant, aut pias aures offendant» \

175 *Ad Illum.*—Multo pridem (21 maii 1851), ipsum S. Officium, rogatum qua nota theologica digna esset propositio: «Numquam expedit interrogare de hac materia (de onanismo) utriusque sexus coniuges, etiamsi pruden-

1 Totus textus datur a Fanfani, l. c., m., 257.

ter timeatur ne coniuges, sive vir sive uxor, matrimonio abutantur» respondit: «Propositionem, prout iacet, esse falsam, nimis laxam et in praxi periculosam» Carpendus igitur parochus noster quod numquam de hac materia matres familias illas interrogat, etsi graviter suspicetur eas matrimonio abuti.

Obicit quidem ipsarum bonam fidem. Attamen «bona fides de re quae tam aperte, in ipsis ephemeridibus, tractatur, vix in paenitentibus existere potest; qui errant in hac re, dum sacramenta frequentant, per verba vel consilia imprudentia facile aliis damnosi sunt; et ob leve indicium existimant rem a confessario permitti vel saltem tolerari; agitur de gravissimo malo quod ubique ob bonum commune debellandum est» 13

Inepte, demum, invocatur decretum S. Officii quasi eius 176 altum silentium obtineret in eo commendationem; ibi enim agitur de sciscitandis, pro integritate confessionis, peccatis gravibus, peccatis nempe quae rationabiliter ipse suspicatur bona vel mala fide praetermissis, et si quando (uti parochus putat) peccata sunt tantum materialia, hic avertendum imminet damni communis et quidem gravissimi periculum.

Ad bonam igitur frugem se Theonestus recipiat atque regulam teneat: «Quantum ad crimen onanismi, cum prudens suspicio subest paenitentem illi addictum esse, quamvis de eo sileat, regulariter tenetur prudenter ac discrete interrogare» a; adeo ut: «Nisi positivo indicio appareat paenitentem ab illo vitio esse immunem, *regulariter* ignotos coniuges interroget» 1.

1 Citatur a Genicot, *Casus Conse.*, 1129, ed. 1928.

2 Vermeersch, *Th. Mor.*, IV, 70, ed. 1926.

3 Aehtnys-Damen, l. c., n. 916.

♦ Merkelbach. *Th. Mor.*, II, 958, ed. 3.—«In raro aliquo casu, ubi bona fides extraordinariis adiunctis stipata fuerit et periculum scandali simul cum periculo nimii abusus exciderit, culpam silentio premet» (Vermeersch, l. c.).

Alii casus.

177 C. II.—Irenion, confessarius in puerorum collegio, valde timet ne aut nimis facilis sit aut nimis rigidus, quaestiones omittens aut multiplicans circa peccata contra castitatem. Quapropter petit a theologo quomodo se gerat in interrogandis impuberibus de hac materia.

Sol.—Respondet Fanfani: «Cum impuberibus, sive masculis sive feminis: 1) Abstinentum omnino est, in interrogationibus faciendis, a nominando singula peccata in specie; sufficit quaerere in genere num aliquid male cogitaverint aut locuti fuerint aut egerint contra decenciam, modestiam, puritatem. Si negative respondent, actum est; sed etiamsi affirmative, caute omnino procedendum est in iudicio de peccato proferendo: saepe enim pueri et praecipue puellae aliquid omnino diversum in suis responsionibus intellegunt a veris peccatis contra castitatem. 2) Neque unquam interrogentur pueri de modo quo peccaverint, utrum scilicet adhibitis manibus, alio modo, etc., ne edoceantur imprudenter circa ea quae feliciter adhuc ignorant. 3) Item numquam explicite interrogentur num solitarie num cum aliis peccaverint; et etiamsi haec interrogatio videatur necessaria, ea proponatur sub hac formula: an peccata de quibus se accusarunt, in praesentia aliorum patrata fuerint; ex responsione facile erit percipere naturam peccatorum, absque eo quod pueri a confessario addiscant quod etiam cum aliis peccata luxuriae patrari possunt»

178 C. III.—Caius confessario manifestat se impia verba in Deum protulisse. Quaenam interrogationes faciendae sunt a confessario ut cognoscat quomodo Caius peccaverit?

i Fanfani, l. c., n. 255.

Sol.— Si paenitens sit puer vel omnino doctrinae expertus, saepe interrogandus erit circa verba prolata: hi enim facile miscent quadrata rotundis. Si constat de vera blasphemia, quaerendum est num prolata fuerit coram aliis necne, ut dignosci possit utrum adfuerit scandalum et hinc forte orta sit obligatio illud reparandi (II, 381 ss.). Si paenitens scandalum affirmet vel neget, interrogandus est utrum blasphemiae prolatae fuerint mente atque voluntate haeretica, seu cum haeresi (II, 141), et utrum fuerint imprecativae in proximum, quia tunc novam gravem malitiam induere possunt contra caritatem. Denique, quaestio ponatur de numero (I, 216 s.). Nihil autem quaerendum utrum verba impia prolata fuerint directe contra Deum, contra B. M. V., contra Sanctos, non enim constat de malitia specie diversa (II, 143). Ita Pistoni¹.

C. IV.— Abundius confessarius, intime persuasus circumstantias notabiliter aggravantes esse iure divino declarandas, exigit ab iis qui de furto gravi se accusant ut eius pandeant quantitatem sive materiam. 179

Sol.— Abundius proculdubio est carpendus dum exigit circumstantiarum notabiliter aggravantium manifestationem quod hanc existimet necessariam *per se*: nequit enim intellegi concilium Tridentinum et novum Codicem, agentes de materia necessaria confessionis, silere de circumstantiis notabiliter aggravantibus si harum confessio foret ex propriis necessaria (cf. I, 140). Non est tamen carpendus ideo quod circumstantias notabiliter aggravantes sciscitatur, quasi *per accidens*, in materia furti. Quantitatis enim cognitione confessarius indigere potest, quippe qui aliter aget cum paenitente qui furatus est mille doliars, aliter cum illo qui furatus est millia millium. Ideo S. Alphonsus: «Ut plurimum con-

¹ Apud Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, II 306.

fessarius inquirere debet de quantitate furti, ad hoc quod sciat quomodo se gerere debeat circa absolutionem impertiendam et obligationem restitutionis imponendam» \ Hoc sensu scilicet ut iudicium sibimet efformet de dispositione paenitentis—qui promptior erit ad restituendum mille quam millia millium—, ut praeter restitutionem quantitatis ablatae urgeat compensationem damni emergentis atque lucri cessantis quod dominus passus est ex furto, et ut consilio paenitentem adiuvet de modo restitutionis perficiendae—ubi nondum facta fuerit, et maxime ubi nec in praesens fieri valeat.

Igitur in materia furti praxis illa Abundii commendanda, et quidem instar regulae. Quae tamen admittit exceptionem: si paenitens videlicet sui officii sit plene conscius et asserat restitutionem plenam iam fecisse vel paratum esse qui faciat.

180 c. V.—Droctoveus, vicarius cooperatores, vocatur saepe ad moribundos. Timens autem ne confessiones integritate careant, illos torquet quaestionibus circa speciem atque numerum peccatorum.

Sol.—«Confessarius, in excipiendis moribundorum confessionibus, non debet tam severe procedere circa numerum et species, quam cum ceteris; quia vires mentis et corporis paenitentis, aut forte instans mortis periculum, id non permittunt. Hoc praesertim valet: 1.º si paenitens aegre confiteatur et minutis quaestionibus graviter defatigandus esset; 2.º si sacerdos iam accessisset cum sacro Viatico, aut si medicus instaret ut Viaticum cito infirmo ministraretur; tunc enim melius est ad dispositionem paenitentis, quam ad integritatem confessionis, attendere; sufficit tunc infirmo imponere ut confessionem repetat cum convaluerit». Ita Ferreres¹.

i S. Alphonsus. *Th. Mor.*, VI, 468, ed. Gaude.

1 Ferreres, *Casus Conse.*, TL. 740. ed. 1926.

C. VI.—Num liceat confessario inquirere a paenitente nomen complicitis? 181

Sol.—Sub distinctione. *Directe*, ut personam nempe complicitis cognoscat, negative; ideo in Codice I. C.: «Caveat omnino ne complicitis nomen inquireat (can. 888, § 2). *Indirecte*, ut cognoscat scilicet peccatum, etsi inde quoque assequatur complicitis notitiam, affirmative, nam confessario incumbit obligatio complendi accusationem paenitentis per legitimas interrogationes. Immo gravissimi Doctores, in quibus D. Thomas¹, obligant paenitentem ad proprium peccatum declarandum quantumvis indirecte vel complicem designet. «Nihilominus sententia opposita, eximens in hoc casu ab integritate confessionis, extrinseca saltem probabilitate non caret, ac proinde si quis illam sequi velit, non est inquietandus»².

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Confessio integra furis, blasphemi, turpia loquentis et agentis, festa atque ieiunia solventis (I, 139 ss.); Furtum rei sacrae. Adulterium duplex (I, 145); Adulter et incestuosus. Pluribus imprecatus (I, 146); Confessio desiderii furandi rem sacram, vindictae sive copulae in genere (I, 252); Confessarius omnem aut nullam interrogans coniugatam circa onanismum (I, 324 s.); Confessarius

¹ «Si speciem peccati exprimere non possit nisi exprimendo personam cum qua peccavit, puta si cum sorore concubuit, necesse est ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam. Sed si fieri potest, debet quaerere talem confessorem qui personam sororis penitus non cognoscat» (S. Thomas, op. *Declaratio sex quaestionum ad Lectorem Bisuntinum*; ed. Mandonnet, III, p. 248).

² Prümmer, *Th. Mor.*, III, 381, ed. 1928.—Ideo Ferreres (l. c. n. 707): «Confessarius, quoties de gravibus peccatis sit sermo, debet numerum et speciem interrogare (prudenter tamen et circumspecte) quoties paenitens ea non manifestet. Si tamen ex numero aut specie infima peccatorum confessarius poterit venire in cognitionem complicitis, paenitens non tenetur ea declarare, donec inveniatur alium confessarium, cui complex sit ignotus».

non interrogans paenitentes a?i elicuerint actus fidei (II, 7); *Paenitentes de dubiis in fide se accusantes* (II, 56); *Hominis iracundi confessio insufficientis* (III, 571).

X. CONFSSIONIS SIGILLUM

Doctrina.

182 Confessionis seu sacramentale sigillum definitur: obligatio omnia celandi ex confessione sacramentali cognita quorum revelatio aliquatenus proderet peccatorem.

Haec obligatio est omnium secretorum strictissima, nullam admittens exceptionem—nisi de paenitentis licentia expressa et libera—, perseverans post mortem paenitentis, et urgens sub mortali ex toto genere—seu non admittens parvitatem materiae—si directe violetur, obligans vero sub mortali ex genere—seu admittens materiae parvitatem—si violetur indirecte tantum.

183 Sigilli obiectum duplex: *quid* et *de quo*. Lege namque sigilli vetatur proditio peccatoris; sed peccator nominatum peccatum tum eius auctorem, paenitentem videlicet; revelatio igitur prohibita est peccati una simul atque paenitentis l. Tamen communiter Auctores obiectum seu materiam sigilli nominant id quod revelatur, supposita paenitentis revelatione. Et sic distinguitur sigilli obiectum *per se* et obiectum *per accidens*.

Obiectum *per se* (quod nonnulli primarium, directum, essenziale vocant) sunt peccata cuncta—vera aut existimata—quae paenitens accusavit—uti certa aut dubia—in ordine ad absolutionem sacramentalem—etsi paeni-

l Non prohibetur confessarius loqui de peccatis absque ulla relatione ad paenitentem, vel de paenitente absque ulla relatione ad peccata.

tens sacrilege confessus sit vel discederet inabsolutus—; non vero quae declaravit solius consilii, pacis, eleemosynae habendae causa, vel ut confessarium derideret, deluderet, tentaret, vel noscens confessarium non habere iurisdictionem; ingrediuntur propterea huius obiecti terminos: peccata mortalia—etiam in genere—atque venialia—in specie.

Obiectum *per accidens* (quod interdum audit secundarium, indirectum, accidentale) sunt omnia cetera quorum revelatio infert periculum vel notitiae vel suspitionis peccatorum, v. gr. peccata commissa in confessione nec tamen accusata—utputa impatientiae vel contumeliae in confessarium—ex quibus facile colligitur sive reprehensio ob culpas graves sive difficultas absolutionis.

Sigilli subiectum est imprimis ipse confessarius—verus vel fictus sed existimatus—; 184
secundario, interpretis aliique omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit (can. 889, § 2); ideoque superior a quo facultas petitur pro absolutione peccati reservati, doctor cuius consilio confessarius, de licentia paenitentis, utitur, qui industria aut casu accusationem audiat peccati, qui peccati accusati revelationem vetitam excipiat. Sed paenitens sigillo sacramentali non tenetur; ideo potest revelare peccata sua, ante et post accusationem factam confessario; quoad res attamen sibi dictas a confessario teneri potest secreto naturali districto l.

Sigilli violatio distinguitur, ut diximus, directa et in- 185
directa.

Directa habetur cum clare seu aperte manifestantur peccatum—seu obiectum per se sigilli—atque paenitens

l «Si nempe eorum manifestatio vel damnum confessario, vel iniuriam et contemptum Sacramento posset afferre. Imo hoc secretum, quamvis naturale, strictius obligat quam quodcumque aliud secretum, tum quia confessarius ex officio consilia dare tenetur, tum quia se defendere non potest, si secretum inluste laesum fuerit» (Fanfani, *Th. Mor.*, IV, 427).

—expresse hic nominetur, v. gr. Titius commisit homicidium; aut perfecte designetur ex adiunctis, v. gr. Praefectus civitatis adulterium confessus est—; quantumvis auditores non cognoscant personam vel ignorent sacerdotem loqui de iis quae novit ex confessione.

Indirecta, contra, locum obtinet cum obscure manifestatur sive peccatum sive paenitens sive utrumque, sic attamen ut periculo committatur notitia paenitentis in primo casu, notitia peccati in altero, notitia utriusque in tertio; potest namque contingere ut audientes, ex iis quae iamiam norunt vel in futuro capient, id omne detegant quod confessarius ambigua locutione, actione, omissione ne dum aperuerit, sed et tegere voluit. Pro maiori aut minori probabilitate illius notitiae, indirecta sigilli violatio erit gravis aut levis.

Et ipse quidem confessarius¹ qui sigillum praesumpserit (cf. I, 74) directe violare, incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; sin autem indirecte, cum culpa tamen gravi, obnoxius est poenis de quibus in can. 2368, § 1. Ceteri vero praescriptum canonis 889, § 2 temere (cf. I, 74) violantes, pro reatus gravitate plectendi sunt salutari poena, quae potest esse etiam excommunicatio (can. 2369).

Casus primus.

186 Fulvius et Fulgentius, vicarii eidem paroeciae urbanae addicti, zelo ducti animarum, sibi proponunt communicationem mutuam omnium experientiarum, quas obvias habent in ministerio pastorali, non exclusis quae sacramentum confessionis respiciunt.

¹ Confessarii nomine hic intellegitur sacerdos (ritus quoque orientalis) etsi pro audiendis confessionibus non sit approbatus. Non tamen (contra paucos) clericus inferioris ordinis, a fortiori laicus, qui se confessarium simularet cui fideles confessionem facerent bona fide.

Saepe igitur ad invicem loquuntur de auditis in confessione, praesertim circa peccata contra sextum praeceptum et contra iustitiam, non solummodo in genere, sed et in adiunctis concretis.

Cum vero paenitentes ex adsoactionibus actionis catholicae indifferenter peccata sua confiteantur apud unum alterumve vicarium, non raro accidit ut Fulgentius valeat individuare peccatores ex his quae collega ei communicaverat et viceversa Fulvius. Dubia vero exorta de revelatione saltem indirecta accusationis uterque spernit et compescit, utilitate fretus suae rationis agendi. Immo non dubitant sibi communicare se ex narratione alterius aliquando novisse paenitentes; quod tamen non impedit quominus in sua ratione agendi perseverent.

Rumores vero in fidelibus sparguntur vicarios, etiam in munere confessariorum, quasi ad modum unius personae se gerere.

Parochus, his auditis, vicarios alloquitur et monet, qui ei respondent se bene nosse severitatem disciplinae circa sigillum sacramentale, qua prohibentur etiam cum parochus loqui de his quae in confessionali aguntur. Parochus mortificatus desistit ac retrahit suam admonitionem.

Quid de ratione agendi vicariorum et parochi in casu.

Solutio

Ratio, imprimis, agendi vicariorum non importat directam sigilli violationem. Imprimis, quoniam directa sigilli violatio vix aut numquam, ob Dei specialem providentiam, in longo saeculorum decursu comprobata est¹;

¹ Instructioni S. Officii, de quibus infra (195) prooemium hoc apponitur: «Naturalem et divinam sigilli sacramentalis legem in Ecclesia Christi semper et ubique sanctissime servatam fuisse ne ipsi quidem

vicarios etiam nostros, quantacumque supponamus laborare ignorantia, effugere non potuit illam et excludere materiae parvitatem et puniri excommunicatione latae sententiae. Praecipue, quod vicarii a nominandis abstinere peccatoribus dum peccata mutuo revelant, quamvis in adiunctis etiam concretis. Neuter enim signat personam paenitentis; si hanc audiens individuatur, id obtinet ex iis quae novit aliunde, non ex iis quae socius conversans manifestat. Sic et Auctores indicant casus similes¹.

Adfuit tamen sigilli violatio indirecta: hanc enim novimus ubi confessarius, narrans peccatum ex confessione notum, tales dat circumstantias ut paenitens possit ab audiente cognosci. Sed in casu cognoscitur de facto, cum ex adiunctis peccati ab uno declaratis alius dicat se individuasse peccatores.

188 Nec indirecta huiusmodi violatio vacat a culpa ob utilitatem quam vicarii sperant ex experientiarum confessionalis communicatione reciproca. Etsi enim permit-

confessionis sacramentalis acriores hostes in dubium umquam revocare serio potuerunt. Idque providentissime Dei consilio absque ulla dubitatione tribuendum est, qui, sacramentalem confessionem veluti secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam hominibus misericorditer offerens, omnem aversionis causam ab ea dignatus est amovere».

¹ Sic Benedictus Lopez, de colloquutione instituta inter duos confessarios qui, prout tales, notitiam possident eorundem factorum: «Ex una parte quaevis manifestatio videri posset quasi proxime accedens ad revelationem directam, quatenus audientis animo statim affert omnem gestorum seriem. At simul verum est quod audiens auctorem culpae non apprehendit nisi quia iam novit, nec alia, ut supponitur, ediscit quam quae iam noverat» (apud Palazzini-Df Iorio, *Casus Conse.*, II. 324).—Item Genicot (*Casus Conse.*, 852, ed. 1928): «Cyprianus... indirecte violavit sigillum dum casum singularibus circumstantiis vestitum alii eiusdem domus confessario narravit: nam in iis adiunctis non deest probabile periculum ne ab eo quem consulit agnoscatur paenitens, si quidem non raro ab uno ad alium confessarium in eodem loco tendunt qui in quibusdam conscientiae angustiis versantur».—Et Fanfani (l. c., n. 429): «Excommunicatus non est confessarius qui cum amicis sacerdotibus confabulando, imprudenter aliqua narrat ex auditis in confessione quae ducunt in cognitionem personae paenitentis; peccatum plus minusve grave propter imprudentiam potest esse; violatio tamen non est directa».

tatur confessarius consulere doctiores, non tamen illos quibus paenitens notus. Sed et ceteris debet casum proponere quoad substantialia tantum, ne descendens ad particularia personam peccatoris valeat audiens attingere vel suspicari. Si neutrum sit possibile et doctioris consilium necessarium, petat licentiam paenitentis. Si haec denegetur, negotium uni Deo commendet.

Ergo parochus bene fecit vicarios alloquens et monens (can. 476, § 7). Sed minus recte egit cum, habito responso vicariorum, mortificatus destitit. Eo etenim quod qui sigillum violat indirecte obnoxius est poenis de quibus in can. 2368, § 1, debuit illos vicarios denunciare episcopo, cuius est poenas illas imponere.

A l i i c a s u s .

C. II.—Quidam peccator publicus, qui in novissimis 189
sacris missionibus confessionem generalem instituerat, parochum suum rogat, vicinis admirantibus, ut domui suae benedictionem impertiri velit sabbato sancto, quae obstinate per triginta annos eidem denegata fuerat.

Tunc parochus verba missionarii meminit, qui cum clero paroeciae quondam alloquens, inter alia dixerat se confessionem audivisse cuiusdam personae quae a triginta annis praecepto confessionis annuae non satisfaciebat et ad scandalum tollendum paratus erat quam primum suae conversionis signum publicum dare.

Sol.—Agitur peccator publicus, ideo saltem quod ipsi obstinate denegata fuerit per triginta annos domus benedictio.

Si missionarius illud noverat extra confessionem, sigillo nihil detraxit dicens se confessionem audivisse peccatoris qui a triginta iam annis non satisfaciebat praecepto confessionis; neque si adiungeret ipsum, rite confes-

sum, absolvisse, ipsumque paratum ad publicum reparandum scandalum, signo igitur publico.

Si vero missionarius illud novit ex sola confessione, quia peccator de omissis per triginta annos confessione atque communione se accusavit, tunc facile excusabitur a directa sacramentalis sigilli violatione; non enim nominavit personam paenitentis, neque expresse, ut patet, neque ex adiunctis: versabatur namque in paroecia et civitate satis ampla—cum dicatur allocutus *clero paroeciae*—, praeterquam et alii, paroeciae vel civitati extranei, potuerunt ad eum pro confessione accedere; denique publicum conversionis signum non patefecit determinatum. Ex adiunctis igitur peccator non sic perfecte designatur ut valeat ab audientibus certo cognosci.

At nisi ponas vel paroeciam sic amplam aut paenitentes ex ceteris paroeciis confluentes ita plurimos ut cognitio peccatoris de quo missionarius locutus est dicenda foret casualis, potius quam probabilis, adfuit in illa revelatione violatio indirecta ex parte missionarii.

Utrum etiam ex parte parochi si benedictionem, quam obstinate per triginta annos denegaverat, nunc concedit ob ea tantum quae missionarius dixerat? Responsio affirmativa, quoniam et ipse tenebatur sigillo ex audita confessarii revelatione vetita. Priusquam igitur petitionem peccatoris publici annueret, ab hoc petere debuit num praecepto confessionis, per tot annos neglectae, satis fecisset.

190 C. III.—Aetherium confessarium paenitens accedit qui se accusat de gravi damno quod inimico intulerat quinque ab hinc annis. Urget ille damni compensationem, sed tot audit in huius executione difficultates intercedere ut imparem se sentiat casui solvendo spinoso prae omni expectatione. Indigens consilio, quid aget?

Sol.— Respondet Merkelbach: «Si confessarius in casu

difficili consilio indiget: *a)* recurrere potest ad theologum cui paenitens omnino ignotus sit; *b)* si id fieri nequeat, casum ita exponat ut periculum revelationis evitet, i. e. tamquam fictum, omittendo adiuncta non necessaria, ex quo ignorari posset paenitens, et admiscendo falsa quae rei substantiam non mutant; *c)* vel, si ita non commode fiat, petat a paenitente licentiam consilium capiendi et cum alio loquendi de re ad confessionem pertinente; *d)* si vero haec denegetur, nec ullo modo possit declinare periculum revelationis, ad alium confessarium eum remittat, aut si id aegre fieri possit, studio et oratione diligenter adhibitis, in Deo confidat et difficultatem, meliore quo possit modo, ipse solvat»

C. IV.—Loquens extra confessionem cum paenitente 191
qui iunior sibi fornicationem confessus fuerat quemque nunc ad ecclesiasticam euectum dignitatem putat superbia concitatum, Symmachus haec verba plene conscius protulit: «Recordare fornicationis quam in iuventute commisisti». Incurritne Symmachus in censuram can. 2369, § 1?

Sol.—Nemo, quod noverim, Auctorum confessarium nostrum excommunicatum pronuntiat; indeque facile colligitur eum non violasse sigillum modo directo. Eum quin immo plures atque expresse a violatione etiam indirecta propterea excusant quod, etsi verba illa proferret absque licentia paenitentis, tamen peccatorem nullo modo prodiit: non enim violat secretum qui loquitur cum eo qui secretum commisit. Abutitur, aliis verbis, scientia ex confessione hausta, de qua proxime (194 ss.), at sigillum non frangit.

C. V.—Titiani peccatis iam auditis, quem tamen ad 192
emendationis propositum perducere non obtinet, Pros-

» Mehkelbach, *Th. Mor.*, HT, 630, ed. 3.

per, parochus religiosus, absolutionem declarat impossibilem. Tunc Titianus: Aut me absolvis aut hic sedentem te modo occido. Conatur Prosper suam agendi rationem omni argumentorum genere confirmare; sed incassum; Titianus perstat: Aut absolutio, aut vita. Prosper igitur: Eamus in sacristiam ubi forsitan rem totam componeamus. Sed cum ecclesia stipata esset fidelibus, Prosper facile aufugit et in chorum se recepit quo religiosi ceteri pro divino convenerant officio. Porro Titianus ianitorem conventus adiit et ab eo petiit ut advocaret parochum, qui eo inabsoluto discesserat. Ianitor ergo pergit in chorum et dicit parocho: Expectat te aliquis quem inabsolutum dimisisti. Prosper annuit capite, quasi diceret: Veniam. At de facto e choro non discessit. Possumusne loqui de sacramentalis sigilli violatione?

Sol.—Negative. Prosper etenim fugit propter iniustas minas quas nec Titianus protulit instar materiae confessionis, neque Prosper revelat quasi denegationem absolutionis habentes causam (183). Potest namque quis minitari mortem confessario quoniam hic sibi aut denegat pecuniam exoptatam aut non revelat uxoris adulterium vel fornicationem amasiae, etc. Unde Prosper clamare potuit alios advocans in auxilium; potuit a fortiori se intra chorum recipere et manere.

193 C. VI.—Noctu et prorsus occulte Silvinus ad parochum accessit cui peccata sua confiteretur. Poteritne parochus, absque sigilli violatione, dicere Silvinum sibi confessum esse?

Sol.—Affirmative, contra quosdam. Nam accessus ad confessionem cognoscitur a parocho ante et extra confessionem. Periculum ne peccator prodatur non imminet ex iis quae confessarius loquitur, sed ex iis tantummodo quae ipse paenitens agit—tot adhibens cautelas reum facile se praebet peccati gravis—. Quapropter ad factum

confessionis occultandum tenebitur forsān parochus secreto naturali, non attamen sacramental! sigillo.

Huc e superioribus volu?ninibus Casus accedant: Amicus consultus de modo confitendi peccata num teneatur sacramentali sigillo (III, 281); Confessarius interrogatus a iudice (III, 514 s.).

XI. USUS NOTITIAE EX CONFESSIOE HABITAE

Doctrina.

Dum in sigilli violatione, directa et indirecta, peccator 194 proditur, quoniam clare aut obscure manifestantur peccatum atque paenitens (184), in usu notitiae ex confessione habitae nulla adest manifestatio; quapropter hic usus intellegitur sine revelatione, sigillo propria, nec umquam dicendus est, prout a nonnullis dicitur, indirecta sigilli violatio.

Qui quidem usus licitus est omnino quoties, nullum importans gravamen paenitentis, cedit in bonum huius—v. gr. cum confessarius orat pro eo, eum benignius tractat—, aut in bonum aliorum—v. gr. cum confessarius, experientia doctus, prudentior est in administrando sacramento—, aut in bonum quoque confessarii—verbi gratia qui inde reformat mores suos, supra se invigilat, vitat occasiones peccandi.

Est, e contrario, illicitus, si importat gravamen paenitentis; licet, de facto, neque paenitens neque ceteri advertant confessarium illa notitia uti. 195

Expresse S. Cong. S. Officii (18 nov. 1682):

De propositione: «Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione

et gravamine paenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur», addita deinde explicatione sive limitatione, quod intellegenda sit de usu scientia ex confessione acquisitae cum gravamine paenitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu, quo multo maius gravamen eiusdem paenitentis ex non usu sequeretur, *statutum est*: «Dictam propositionem, quatenus admittit usum dictae scientiae cum gravamine paenitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione sive limitatione» (Denz. 1220).

196 Et in canone 890:

«§ 1. Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine paenitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo'.—§ 2. Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea Superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad externam gubernationem nullo modo utantur».

Hanc porro prohibitionem ut efficacius tueatur et ut pateat omnibus quanta cum sollicitudine tutam velit, Ecclesia statuit: «Superiores religiosi, potestatem audiendi confessiones habentes, possunt, servatis de iure servandis, confessiones audire subditorum qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant» (can. 518, § 2); item: «Magister noviciorum eiusque socius, Superior seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant» (can. 891); item: «Quando

i «Quod quidem intellegendum est etiamsi ex non usu huius scientiae maius damnum sequeretur, sive confessario. sive paenitenti, sive alteri» (Paban, apud Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, H, 323).

agitur de alumno ad ordines admittendo vel e Seminario expellendo, numquam confessoriorum votum exquiratur» (can. 1361, § 3). Unde et excludit confessorii testimonium, nedum in processibus ordinariis (can. 1757, § 3, n. 2), sed in ipsis quoque processibus beatificationis et canonizationis (can. 2027, § 2, n. 1).

3
1
n
|
|

Casus primus.

Nonnosus, abbas cuiusdam monasterii, vellet subditum suum ab administratione remove ob aliquid quod ab eo audivit in confessione. Putat enim confessionis sigillum, cum institutum sit pro caritate, non militare contra caritatem ex qua tenetur abbas saluti subditorum providere; porro quandoque est contra salutem subditi si ipsi administratio permittatur, utputa si inveniatur in occasione proxima novi lapsus. Quid dicendum? 197

Solutio

Hunc casum enodavit D. Thomas (*quodl.* 5, a. 13): 198

«Id quod per confessionem auditur, nullo modo est manifestandum nec verbo, nec signo, nec nutu; nec etiam aliquid est faciendum unde in suspicionem peccati aliquis possit devenire. Si ergo a motio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in confessione auditum, vel ad aliquam probabilem suspicionem habendam de ipso, nullo modo praelatus debet subditum ab administratione remove; puta, si aliquo monasterio esset consuetum quod priores non amoverentur de suis prioratibus nisi propter culpam, manifestaretur peccatum confitentis per remotionem ab administratione. Unde si Abbas hoc faceret, graviter peccaret tamquam confessionem revelans. Posset autem cum

n

secreto caritative admonere ut cum instantia peteret cessionem, si hoc viderit saluti eius expedire. Si vero per amotionem ab administratione peccatum nullatenus manifestaretur, puta, si in aliquo monasterio esset consuetum quod Abbas pro suo libito de facili aliquos ab administratione removeret; tunc alia occasione accepta posset subditum sibi confessum ab administratione remove, et deberet hoc facere; cum debita tamen cautela, si talis administratio esset subdito periculosa in posterum; quamvis etiam in hoc casu melius esset quod eum induceret ad cessionem petendam. Si vero periculum in posterum non timeretur, non oportet quod pro peccato praeterito per paenitentiam deleto eum ob administratione removeret».

199 Quod D. Thomas, licet aegre, permittebat tunc temporis, nostris nunc diebus est prorsus vetitum \

Nec mirandum est si hodierna disciplina rigidior. «Ecclesia omni tempore ius divinum proclamavit illudque positivis sanctionibus communit, non tamen omni tempore pari rigore cuivis periculo arcendo adlaboravit, sed prout adiuncta postulabant. Id quod non ex eo solum dimetiendum est quod frequentiores aut graviores abusus exoriantur, sed ex eo quod certis temporibus aut locis quaevis sigilli violatio, immo vel simplex animi levitas, maius detrimentum religionis decori et animarum bono possit afferre. Hoc apprime recolendum est non solum in explorandis veterum scriptorum sententiis, sed etiam in documentis veteris disciplinae» 3.

1 Cf. 196,—Iam pridem (26 maii 1593) Clemens VIII decreverat: «Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur» (Gaspahri, *Fontes*, I, n. 177).

1 Ben. Lopez, apud Palazzini-De Ioiuo, *Casus Conse.*, H, 324.

A lii casus.

C. II.—Eubulus in privatis colloctionibus et praeci- 200
pue in concionibus ad populum nonnullos casus refert
asserens sibi notos ex longissima confessarii experientia.
Quamvis accurate omnia reticeat quae reos possent pro-
dere, increpatur attamen a parochio amicissimo.

Sol.—Recte prorsus. Quantumcumque etenim confes-
sionis sigillum nec directe nec indirecte violet, immo ne-
que utatur notitia confessionis cum gravamine paeniten-
tis, Eubulus dat facile scandalum fidelibus et ideo reddit
odiosum sacramentum. Hinc quod S. Congr. S. Officii
(9 iunii 1915) hanc agendi rationem reprobaverit: «Cum
in re tanti ponderis et momenti nedum perfectam et
consummatam iniuriam, sed omnem iniuriae speciem et
suspicionem studiosissime vitari oporteat, palam est om-
nibus quam mos huiusmodi sit improbandus. Nam etsi
id fiat salvo substantialiter secreto sacramentali, pias
tamen audientium aures haud offendere et diffidentiam
in eorum animis haud excitare sane non potest» *.

1 Textus integer datur v. gr. a Cappello, *De paenitentia*, n. 907.
ed. 1938, a Piscetta-Gennaro, *Th. Mor.*, V, 818n, ed. 1927.—«Quando po-
sitive et concrete aliquid narratur tamquam in confessione auditum,
semper iudicandum est exinde confessionem odiosam reddi in mente
audientium» (Tanqueray, *Th. Mor.*, I. 521, ed. 1930).—«Fas est Concio-
natoribus *generatim* invehere in vitia occulte grassantia quae in Con-
fessionibus audierunt, modo non manifestent se ea audisse in Confessio-
nibus, neque descendant ad circumstantias particulares. Verumtamen,
ut *nominatim* dicere possint, v. gr.: *Hic grassatur ebriositas, luxuria.*
opus esset, ut locus constaret saltem tribus millibus incolarum circiter;
minus autem, si *generatim* tantum dicerent: *Hic committuntur multa*
peccata gravia, nullo nominato. Ut vero nominare possint aliquod pec-
catum infamans, etiamsi publicum esset, dicendo e. g. *Hic grassatur so-*
domia, adulterium, S. Alf. postulat ut oppidum valde frequens sit v. gr.
sex millium animarum. Denique, si Condonator haberet peccatorum no-
titiam extra confessionem, potest maiori cum libertate loqui; semper
tamen cautione utendum est, ne suspicionem revelationis ingerat illis
qui ei confessi sunt» (Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, II, 465, ed. 1939).

201 C. III.—Noscens ex praeteritis confessionibus penitentem esse molestum, scrupulosum, conscientia intricatum vel tenuiter dispositum, potestne confessarius recusare ipsum audire confiteri volentem?

Sol.—Negative, nisi habeat causam externam distinctam a confessione, ut si communiter nosceretur paenitens esse nimis prolixus in confitendo, aut ob aliud motivum id faceret. Potest attamen eum dimittere initio confessionis, si non sit dispositus aut irrationabiliter audiri petat. Item potest in confessione eum admonere ne se deinceps accersat. Ita Merkelbach

202 C. IV.—Quam obtinuit hereditate tabernam piscatoriam sacerdos animo intendebat locare Titio; sed hunc malefidum locatarium detegit ex aliorum auditis confessionibus; quapropter apud se deliberat locationem non Titio concedere sed Caio.

Sol.—Respondet Ylla: Non adest scientiae ex confessione acquisitae usus illicitus; quae locatio etenim Caio conceditur non fit cum gravamine paenitentis—nam malefidum Titium confessarius non novit ex Titii confessione—, immo nec cum gravamine ipsius Titii—cui locatio praemeditata fuit non ob ius locatarii sed ex uno locatoris commodo—, nec reddit confessionem odiosam—cum nemo id habeat odio quod ignorat, sed solus confessarius novit quare mutaverit sententiam 2.

203 C. V.—Postquam confessionem audivit cuiusdam e clericis dioecesis, Titus episcopus vigilantiam erga illum duplicat quam prius tenuerat. Licite aut illicite?

Sol.—Ad hunc casum Paban: «Si ista duplicata vigilantia, utique maior quam antea adhibita erat, revera

i Merkelbach. *Th. Mor.*, III, 628, ed. 3.

î Ylla, *Cuestiones eclesiásticas*, I, 86, ed. 1940.

deficiens, remansit intra limites vigilantiae quam solent adhibere optimi pastores erga omnes sacerdotes sibi commissos, nihil est reprehensibile in modo agendi Titi. Est enim licitum confessario uti notitia habita in confessione ad rite exercendum suum officium et ad exhibendam vigilantiam quam hoc officium requirit. Si vero per istam duplicatam vigilantiam intellegitur ea qua non utuntur optimi pastores erga omnes suos sacerdotes, sed solum erga suspectos criminis, cum sit onerosa personae circa quam exercetur, non poterat eam adhibere Titus: illicitum est enim confessario uti scientia acquisita in tribunali paenitentiae cum gravamine paenitentis»

C. VI.— Apuleius accedit ad Olavum et se accusat quod 204 cum nonnullis aliis facinerosis paravit ei insidias. Poteritne Olavus hac uti notitia in confessione acquisita ut sub aliquo praetextu sibi caveat?

Sol.— Suppono ex tali cautione nullam esse revelationem directam aut indirectam accusati peccati. Tota ergo quaestio num usus notitiae ex confessione habitae fiat necne absque gravamine paenitentis et scandalo aliorum, ut cautio dicatur licita aut illicita potius.

Potest enim fieri sine scandalo: cum actiones enim quibus confessarius sibi cavet valeant fieri ex motivis diversis, non est cur adstantes credant vel suspicentur id fieri ex notitia confessionis; alioquin, prout Billuart animadvertit -, si confessarius ex confessione noverit vinum venenatum sibi pro missa appositum, non posset a celebranda missa abstinere quamvis post confessionem recordaretur se non esse ieiunum. Si id complices suspicentur vel credant, hoc non oritur ex actione confessarii

i Παπαν, l. c.

3 Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de sacr. paenitentiae, dlss. 8, a. &

sed ex eo quod aliunde norunt et peccatum et confessionem Apuleiil.

Potest etiam fieri absque paenitentis gravamine. Si quae timetur eius admiratio, confessarius vel licentiam petat notitia utendi, quae facile dabitur, vel ipsi breviter rem explanet.

Nequit autem interdum fieri absque adstantium scandalo, si non obstante praetextu allato, hi putarent vel suspicarentur sigilli violationem.

Aliquando nec fieri potest absque paenitentis gravamine, v. gr. si hic iure timet ne, ob revelatum crimen, ipse a complicibus occidatur; quo certe in casu poterit, absque iniuria, denegare confessario licentiam forte petitam utendi notitia ex confessione habita.

Fingamus, denique, certo constare paenitentem insidias paratas hoc uno accusasse fine ut nempe confessarius fugere non valeat; tunc non loquamur de confessione sacramentali, nec ideo de sigillo sacramentali nec de notitia acquisita in confessione: confessarius prorsus licite sibi cavet.

XII. MUNIA DIRECTORIS SPIRITUS IN SEMINARIIS

Doctrina.

205 Legimus in Instructione S. C. Episcoporum et Regularium, ad Episcopos Hungariae (28 maii 1896): <tPrae-

1 Nonnulli vident in fuga confessarii revelationem indirectam factam complicibus de peccato accusato ab Apuleio, si complices noverint hunc accessisse ad confessionem; sed Billuart (l. c.) tenet revelationem in casu nullam, prout nulla foret in casu quo femina videat confessarium manere absolventem Apuleium cum quo ipsa peccavit praecedenti nocte, etsi inde colligat Apuleium confessum esse suum peccatum.

fectum etiam pietatis constituent (Ordinarii) sacerdotem aetate maturum, gravem, experientia et usu vitae spiritualis eximium, gloriaeque divinae studiosum, qui non solum confessiones alumnorum audiat, sed eos etiam in exercitiis vitae clericalis, oratione, meditatione aliisque quasi manuducere, et ad virtutes sacerdotales comparandas vehementer incitare valeat» \

Codex I. C.: «Curandum ut in quolibet Seminario adsint... duo saltem confessarii ordinarii et director spiritus» (can. 1358).

De eius praecipuis dotibus loquitur S. C. de Seminariis et Stud. Universitatibus ad Germaniae episcopos (9 oct. 1921): «Sit Director spiritus vere homo Dei, virtutibus floreat quae Sacerdotem decent, praesertim caritate et prudentia, dogmaticae et asceticae theologiae sit peritissimus, ut sive exemplis sive doctrinis alumnos ad perfectionem hortari possit ac deducere valeat»².

At cum directio spiritualis non sit confundenda cum schola theologiae asceticae, scopus directionis est praesertim practicus: alumnorum animos efformare ad veram solidamque pietatem, eos inducere ad virtutes clericali statui peculiare et assequendas et excolendas, eos omni studio adjuvare in pugna contra tentationes atque passiones; nec sermonibus dumtaxat ad omnes habitis, sed maxime consiliis, adhortationibus et monitis cuique collatis.

Plena ergo indiget alumnorum fiducia ut hi ad eum recurrant seseque aperiant ei. Debet propterea non dumtaxat pollere scientia et experientia, pietate et oboedientia—ad Rectorem praecipue—, quibus apud alumnos auctoritate gaudeat, at se quoque exhibere caritativum et affabilem, prudentem et patientem, ab externo demum

² Leonis XIII, *Acta*, 16, 134, ed. 1897; *Ench. Clericorum*, 548.
- *Ench. Cler.*, 1121.

regimine alienissimum, ut ii cordis arcana ultro ipsius fidei silentioque committant.

207 Eius officium duplex: fovere et roborare vocationem eorum quos detexerit divinitus allectos, atque ceteris persuadere ut de statu clericali recedant.

Ad illos «de Sacerdotii dignitate, muneribus, officiis; de orationis, praesertim mentalis, necessitate et ratione; de conscientiae discussione; de his denique, quae ad piam Clericorum institutionem prosunt, quum singulos tum omnes saepius alloquatur, atque in hisce ceterisque rebus meminerit quanta ipsum maneat gloria, qui idoneos Iesu Christi in terris instaurando ministros comparaverit» *.

Quoad ceteros Pius XI: «Animadvertant ii qui in id genus domiciliis vel iuvenum animis moderantur vel sacras confessiones excipiunt, quam magni periculi—ad Deum, ad Ecclesiam et ad ipsos iuvenes quod attinet—auctores fiant, si suas cuiusque partes omni ope non expleant, ne eiusmodi erratum perpetretur... Quomobrem ipsi—tum praesertim cum externas rei moderatores vel neutiquam, vel enervate ac languide suas partes peragant—non aptos aequae atque indignos, humano nullo habito respectu, pro officio iubeant e sacris Seminarii septis, dum tempus est, recedere» 2. In quo quidem negotio stare debent normis sive a S. Sede sive ab episcopo definitis (82).

Casus primus.

208 Moderator spiritualis Seminarii, audiens conferentiam cuiusdam ex alumnis, eum detegit et ideis communistarum plene imbutum et peccatis sensualitatis

i *Ench. Cler.*, l. c.

» Pius XI, *Ad cath. sacerdot.*, AAS, 28 (1936), p. 41.

consuetudine laborantem. Eum quidem exhortât—cum ordinatio sacra sit imminens—ut in saeculum redeat, sacerdotii proposito valedicens; verum ille suis adhortationibus nullatenus acquiescit.

Hinc moderator fluctuat: Potestne Rectori vel Episcopo secretum revelare ut vitet Ecclesiae atque fidelibus malum ex admissione indigni certo consequens, aut tenetur secretum sibi servare, ea ratione ductus quod maius malum timendum sit ex revelatione?

Quid dicendum?

Solutio

Non agitur de notitia habita in confessione, cuius revelatio nullo prorsus in casu foret licita (182) et cuius usus, cum gravamine paenitentis, ad externam gubernationem prohibetur (196); adeo ut «quando agitur de alumno ad ordines admittendo vel e Seminario expellendo, numquam confessorum votum exquiratur» (can. 1361, § 3).

At vertitur in casu secretum commissum, obligans ex iustitia, et propterea sub gravi ex genere. Quod attamen non urget cum necessitas imminet avertendi damnum grave, saltem commune (cf. III, 262 ss.).

Vertitur quoque secretum ex officio, vim habens obligandi prae secreto simpliciter commissum. Eius tamen et termini definiti sunt, sic ut medicus qui ex officio noverit sponsum syphili laborare quem nequiret a nuptiis amovere, rem sponsae revelare posset (cf. III, 274 ss.).

Vertitur denique secretum conscientiae extrasacramentale, prae secreto professionali profano validius. Sed hoc ipsum nonnullas admittit exceptiones, praecipue cum instat commune damnum grave alias indeclinabile.

Ideo et exceptionem admittendam puto in casu nostro si ageretur secretum conscientiae penes privatum sacerdotem cui Seminarii alumnus propria sponte animum aperuit directionis causa.

210 Attamen ne deturpetur licita revelatio, oporteret haec fiat cum quam minimo fieri potest alumni illius incommodo; ne plura ergo manifestentur quam opus sit ad alumni ordinationem impediendam, neque pluribus revelatio fiat quam postulet negotium, hisque sub secreti commissi lege. Si alumni propterea ordinationem sacerdos noster impedire valeat loquens cum Rectore seminarii vel cum episcopo, ne loquatur cum aliis; si sufficit asserere alumni ineptitudinem, hunc ne proferat indignum—audiens autem sic prudenter se gerat ut uni testificationi sacerdotis acquiescat fide digni.

Sed prae primis sacerdos omnem det operam ut alumni vincat spontanei exodi repugnantiam, etiam sub comminatione secreti revelandi cum quam minimo ipsius incommodo. Nec hic habet unde scandalum sumat: vacans enim studiis theologicis debet terminos noscere secreti professionalis et conscientiae, iniuriam quoque quam inferret Ecclesiae si ad Ordines accederet indignitatis conscius, damnum cui fideles committeret vitii praebens exemplum potius quam virtutis, salutis denique sui ipsius periculum—qui posset in matrimonio illud licite obtinere concupiscentiae pharmacum quod in coelibatu foret mortiferum.

211 Si tamen agitur, prout in Casu proposito, arcanum conscientiae penes sacerdotem qui munus habet Moderatoris spiritualis in Seminario, ad quem igitur alumni et invitantur et urgentur ut accedant, quibus propterea oportet plena detur fiducia de secreti professionalis arcissima custodia, pluribus visum est silentium Directoris spiritus omni prorsus in casu inviolabile, nulli omnino

exceptioni subditum. «Secreti professionalis obligatio, secundum moralistas, quandoque cessat in favorem boni communis. Attamen in his intimissimis rebus, cum res saepe pressius accedant ad materiam sigilli sacramentalis, director ne umquam utatur scientia in directione hausta. Bonum enim Seminarii commune postulat ut directio spiritualis sit efficax; haec autem efficacitas tunc tantum habebitur, cum alumni in rebus fori interni plene fidunt sacerdoti-directori. Iamvero haec fiducia non nisi arctissimo secreto fundatur, nulla exceptione admissa. In hac materia necesse est fidere divinae Providentiae. Ceterum si quidam seminarista aliquibus condiscipulis evasit gravis periculi causa, ceteri seminaristae sat cito hoc comperient, et, si spiritus in Seminario bonus est, moderatorem spiritus consulent quid sibi in casu faciendum. Moderator autem spiritus, si ex colloquiis directionis compererit aliquid alumnorum communitati graviter nocivum, alumno revelanti iniungat obligationem monendi rectorem; ipse vero director spiritus—neque si alumni hoc ipsum rogaverint—officium apud Superiores quemdam denuntiandi in se numquam assumat, ne ex communicatione facta in posterum periclitetur apud alumnos efficacia eius muneris directoris» x. Quod pariter commune damnum sit timendum post ordinationem indigni sacerdotis dixeris evitabile oculata episcopi vigilantia super doctrinam atque mores clericorum dioecesis.

A lii casus.

C. II.—Theogenes, spiritus moderator in Seminario 212 regionali, non parum angitur de sententia tenenda in

vocationibus decernendis: praeter sententiam enim tutiorem adest et sententia solide probabilis.

Sol.—Expresse Pius XI ad moderatores spiritus et confessarios seminaristarum: «Ea in causa pertractanda tutiorem semper sententiam amplectantur, quae quidem, ad rem quod attinet, multo magis sacrorum alumnis favet, cum eos ex itinere avertat, per quod ad aeternam ruinam adduci possent» \

- 213 *C. III.*—Sed tunc oporteret, inquit Theogenes, severitatem potius quam caritatem ad Seminarii alumnos exercere.

Sol.—Ipse Pius XI aurea iam exscripsit S. Alphonsi de Ligorio verba: «Ut plurimum, quo severius (hac in re) confessarius cum paenitentibus agit, eo tutius ipsorum saluti consulit; ac contra, eo se duriores paenitentibus praestat, quo ipsis se faciliorem impertit. S. Thomas de Villanova confessarios id genus, aequo nempe leniores, *impie pios* vocabat. Huiusmodi caritas contra caritatem repugnat» 2.

- 214 *C. IV.*—Cassius, spiritus director, anceps haeret inter normas quas in materia castitatis pro discernenda vocatione tradunt ut plurimum theologi et eas quas recens S. Sedes duriores tradidit.

Sol.—Cassius stet omnino his normis recentioribus. Hae normae, quantumvis directivae, sunt fructus longissimae experientiae, validae abs dubio pro temporis quo versamur condicionibus. Hoc enim nostro tempore plures sunt occasiones et tentationes, continua dixeris pericula exteriora quibus sacerdotum castitas est exposita. Porro si hoc requiritur in ordinando, idoneitas nempe in iis gratiae et naturae dotibus reposita et per

i Pius XI, 1. c., p. 41.

Î Id., ib.

eam vitae probitatem comprobata quae spem fundatam faciant fore ut sacerdotii munere recte obire eiusdemque obligationes sancte servare queat (75), evidens prorsus est potioem et firmiorem virtutem necessariam quo crebrius et maius est periculum: in maiori enim periculo insontem se servare, maioris virtutis est indicium; prout maiorem petimus industriam penes gubernatorem cui commendamus navim dirigendam tempore procelloso quam sereno, in mari turbulento quam placato.

C. V.—Helladius, moderator spiritus in quodam Seminario maiori, reformidat ne si ad normas huiusmodi candidati ad sacerdotium seligantur, praeparcus erit clerus cui fidelium cura commendetur. 215

Sol.—Ad parem difficultatem D. Thomas: <Deus numquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei ministri sufficientes ad necessitatem plebis, si digni ministri promoverentur, et indigni repellerentur. Et si non possent tot ministri inveniri quot modo sunt, melius esset habere paucos ministros bonos quam multos malos» x.

C. VI.—Apodemius qui munere directoris spiritus in seminario fungitur, insistit penes confessarios, extraordinarios maxime, ne indicium ferant de seminaristarum vocatione, sed h sunt magis noti. 216

Sol.—Optime Ape rum, praesertim extr Seminario moderator tali alumnorum officii guli, quovis moment(latione spirituali reci

1 S. Thomas, *Summa T*

rii semper possunt et interdum debent paenitentes suos remittere pro solutione dubii circa vocationem aliisve casibus quorum solutio intimiorem cognitionem eorum requirit» \

1 *Direc. Semin.*, n. 491 — In normis datis a S. C. Seminariorum et Univ., pro Italiae Seminariis (419/43-55) legimus «Il Confessore si astenni normalmente dall'emettere il giudizio definitivo sulla vocazione di un candidato agli Ordini Sacri, qualora non avesse già per più anni assistito spiritualmente il medesimo. Nei casi dubbi, non avendo il Confessore avuto tempo e opportunità di formarsi la certezza morale circa l'idoneità o meno del candidato, rinvierà la decisione ultima al Direttore Spirituale, imponendo al giovane di ricorrere ad esso» (apud *Seminarios*, 5 [1957], p. 53 s.).

DE STATU CONIUGALI

I. CONIUGUM OFFICIA MUTUA

Doctrina.

Coniugum officia mutua loquimur, nam ipsorum obii- 217
gationes erga filios iam signavimus (t. m, 463 ss. et
476 ss.), obligationes autem erga famulos dabimus infra
(307 ss.).

Porro coniuges ad invicem tenentur amore, iuvami-
ne, cohabitatione et fide.

Apostolus uxoribus praecepit «ut viros suos ament»
(Tit. 2, 4); viris quoque ut diligant uxores, prout et Chris-
tus Ecclesiam (Eph. 5, 25). Si enim tenemur proximos
diligere, a fortiori proximiores nobis «tum quia inten-
sius diliguntur; tum etiam quia pluribus rationibus di-
liguntur» \ Sunt etiam coniuges una caro (Mc. 10, 8);
prout inter illos igitur unio corporis, sic et esse debet
unio animorum; unde, quamvis parentibus maior sit
exhibenda reverentia, magis est diligenda uxor quam

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 26, 8.

parentes Sine amore, denique, non est coniugibus possibilis ceterorum officiorum vitae maritalis impletio.

218 Hic igitur amor debet esse specialis, sincerus—ut uxor quaerat placere viro, vir etiam uxori—atque patiens—se invicem condonando offensas et infirmitates perferendo. Peccat propterea coniux qui alterum odio habet, alteri malum optat, adulterium committit vel adulterandi periculo se exponit, sinistras ingerit comparti suspiciones de propria fidelitate, temere iudicat de alterius incontinentia, zelotypiae indulget «quae solet esse sepulchrum amoris coniugalis» 2.

Iam S. Ioannes evangelista monuit: «Non diligamus verbo neque lingua sed opere et veritate» (I loa. 3, 18); amor igitur coniugalis oportet sit effectivus, qui nempe ad mutuum et iuvamen et solamen procedat. Sicut mulier etenim in adiutorium facta fuit viri (Gen. 2, 18), sic et indiget huius praesidio; vir igitur atque mulier se complent invicem, etiam in iis quae domesticam curam spectant nam nonnulla propria sunt viro, ad nonnulla magis apta femina.

219 Ideo marito incumbit familiaris rei administratio, gubernatio familiae, sollicitudo de bonis animae, corporis, externis eius quam accepit sociam, non ancillam. Uxori, contra, competit reverentia ad maritum, oboedientia in iis quae pertinent ad domus gubernationem, perfunctio domesticorum officiorum—saltem vigilantia super famulas quibus haec committat.

Quapropter peccant coniuges si domus administrationem vel rem familiarem neglegant, si verbis contumeliosis vel infamantibus se afficiant; peccat maritus si non curat familiae gubernandae, si uxori denegat alimenta vel non procurat, si uxorem a praxi religiosa impediat, verberibus afficiat sine causa, crapulis aliisve

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 26, a. 11.

* Prümmer, *Th. Mor.*, II, 591, e*i.* 1928.

passionibus inordinatis affligat; peccat uxor, si spreto marito, gubernare velit—nisi is aut familiae bona dilapidaret aut gubernationis domus esset incurius, eive minus aptus—; si viro, rationabilia praecipienti, non oboediat, si de bonis communibus expenderet contra viri voluntatem et consuetudinem mulierum eiusdem conditionis, si luxui dedita virum exasperet, si maritum rixis aut verbis provocaret ad iram vel blasphemias.

Quoniam sunt una caro, coniuges debent simul inhabitare; non licet ergo unum discedere alio invito—nisi rationes adsint boni aut publici aut domestici—. At cum vir sit caput mulieris, haec debet illum sequi mutantem domicilium—nisi vir factus fuisset vagus post nuptias aut sibi immineat vitae vel salutis discrimen—. Peccat igitur vir qui alio et ad longum tempus discedit nec uxorem adducit secum; peccat et mulier qui virum domicilium mutantem sequi detrectat. 220

Communio vitae coniugalis importat quoque consortium mensae ac tori; haec altera salvatur si ambo dormiant in eodem cubiculo, immo vel in cubiculis contiguis inter se iunctis—sed hic postremus usus potius est tolerandus quam commendandus—; de ipsa Apostolus: «Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier» (I Cor. 7, 4).

Casus primus.

Cum amor mutuus pronuntietur fundamentum ceterorum officiorum coniugum, sine quo nempe officia cetera impleri nequeunt (217), valde miratur Syrus cur Ecclesia tam pusillam amori partem tribuat ut nuptiae valide ineantur sine amore et firmatae atque indissolubiles perseverent etiam cum forte evanuerit amor. 221

Quid dicendum?

Solutio

222 Optimo quidem iure Ecclesia pusillam partem tribuit passioni amoris, qui est motus appetitus sensitivi et libertatem minuit contrahentium; item amori qui sympathiae terminos non exsuperat et potest esse veri amoris causa, ab effectu plane distinctus: haec omnia cito transeunt, dum amor coniugum oportet pro indissolubili unione perennetur x.

Agitur ergo amor actus voluntatis.

Porro nuptias valide iniri sine amore probat dumtaxat hunc non esse essentialem contractui matrimoniali, sicut nec ceteris contractibus; sufficit consensus liber, quantus existit ad translationem domini corporum necessarius; potest ergo quis matrimonium validum contrahere vel ex metu (cf. can. 1087) vel ex cupidine divitiarum compartis. Sed amor inducit, ut plurimum, ad nuptias, et quidem amor benevolentiae cum sponsi se mutuo noscunt; stat ergo praesumptio, adeo ut nupturientes se putarent graviter offensos interrogati num ex amore nubant. Si quando hi moventur concupiscentiae amore, femina puta propter viri praesidium, vir ob fe-

1 «Coniugio igitur animi iunguntur et coalescunt, hiquo prius et arctius quam corpora, nec fluxo sensuum vel animorum affectu, sed deliberato et firmo voluntatum decreto... Ulterius etiam progrediuntur recentiores coniugli osores, eo quod germano solidoque amore, conlugalis felicitatis et intimae dulcedinis fundamento, caecam quandam sufficiunt indolis convenientiam consensionemque ingenii, quam sympathiam vocant; qua cessante, relaxari vinculum docent quo solo uniuntur animi, ac plene dissolvi. Quid hoc erit aliud nisi domum super arenam aedificare? Quam, cum primum oblecta fuerit adversitatum fluctibus, ait Christus Dominus labefactandam esse continuo et collapsuram: *Et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et cecidit et fuit ruina illius magna.* At contra, quae supra petram constituta fuerit domus, mutua nempe inter coniuges caritate, et deliberata ac constanti animorum coniunctone solidata, nulla concutietur adversitate, nedum evertatur» (Pros XI, enc. Casti Connubii; AAS, 22 [1930], pp. 542, 568 s.).

minae vel pulchritudinem vel divitias, praesumptio quoque stat hunc amorem convertendum esse in amicitiam individua vitae consuetudine.

Incongrue propterea diceretur Christianorum nuptiis ineundis obtinere pusillam partem veram atque sinceram dilectionem, haec quamvis non ponatur condicio sine qua non ad matrimonium validum. Haec quinimmo dilectio ad caelum usque tollitur cum imago dicitur dilectionis Christi erga Ecclesiam. Ipso quoque indissolubili nexu roboratur. Ad rem Angelicus: «Amicitia, quanto maior, tanto est firmior et diuturnior. Inter virum autem et uxorem maxima amicitia esse videtur... Erit fidelior amor unius ad alterum, dum cognoscunt se indivisibiliter coniunctos, erit etiam utrique sollicitior cura in rebus domesticis... Tolluntur etiam adulteriorum occasiones» \

At saltem, inquires, postquam amor evanuit oporteret 223 nuptias dissolvi.

Gravior profecto incongruentia. Nupturientes sibi invicem promiserunt amorem usque ad mortem (saltem quod se obligarunt ad vitam conjugalem cuius onera sustineri nequeunt absque mutua ipsorum dilectione); Christiani tenemur ad amorem proximi, ad potioem amorem erga magis proximum; maritus Christianus iubetur uxorem suam diligere, uxor autem Christiana virum (217); congruum ne erit ut commodum percipiant ex propria culpa? Quoniam caritas patiens est, benigna est, non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat et omnia sustinet (I Cor. 13, 4 ss.).

Immo, quod matrimonium Christianum repraesentat amorem vigentem inter Christum et Ecclesiam, sicut Christus dilexit Ecclesiam ut traderet semetipsum pro

ea (Eph. 5, 25), sic debet Christianus coniux se suaque omnia pro altero devovere.

Non igitur praemio donandi sunt quod ipsorum amor evanuit; sed urgendi ut peremptam dilectionem resuscitent. Quoniam Deus impossibilia non iubet; iubet autem ■ amorem conjugalem; quapropter hic amor est possibilis. Gratia sacramenti collata fuit pro toto unionis tempore

Si propter unius, denique coniugis pertinacia, reviscentia amoris sit practice impossibilis, non propterea vita alterius damatur ad perpetuum, ut frequenter dicitur, martyrium: Ecclesia, quae tutam vult et salvam indissolubilitatem matrimonii, admittit separationem tori, mensae et habitationis 2.

A l i i c a s u s .

224 C. II.—Cum audierit parochum inculcantem praeceptum apostolicum «mulieres, subditae estote viris» (Coi. 3, 18), Eutropia, feminism!, ut aiunt, propugnatrix, praedicatorum adit quem obiurgat de obsoleta doctrina. Hodie, inquit, uxor non amplius viro subdita, at viro est plene aequalis; utrique paria iura tum in domo gubernanda, tum in re familiari administranda, tum in artibus officiisque eligendis et exercendis, tum denique in ordine politico quoad suffragium dandum et munera gerenda.

Sol.—«Aequalitas illa iurium, quae tantopere exaggeratur et praetenditur, in iis quidem agnosci debet, quae

1 «Fideles, qui semel matrimonii vinculo iuncti fuerint, eius sacramental! adiutorio ac legamine privari numquam possunt» (Pius XI, l. c., p. 555).

2 «Quod si res eo devenerit ut convictus ferri diutius non posse videatur, tum vero Ecclesia sinit alterum ab altera seorsum agere, adhibendisque curis ac remediis ad coniugum condicionem accomodatis. lenire studet secessionis incommoda; nec unquam committit, ut de reconcilianda concordia aut non laboret aut desperet» (Leo XIII. enc. *Arco num'*. *Acta*, 2, p. 37 s.; ed. 1882).

propria sunt personae ac dignitatis humanae, quaeque nuptialem pactionem consequuntur et coniugio sunt insita»¹. Utrique ergo est una natura et personalitas, eadem destinatio ad gratiam et ad gloriam.

Sed in multis aliis maritus et femina dissimiles, nam ordinarie haec est debilior quoad vires corporis et intellectus; quapropter vir habet ut dirigat et laboret, uxor vero ut regatur et domesticis curis incumbat. Praeceptum ergo Apostoli nihil roboris vel nostris his temporibus amisit: uxor tenetur revereri et oboedire viro. At socia cum sit regis, femina intra domesticos parietes est regina. Non occupat locum mentis gubernantis; tenet attamen locum cordis, cuius est diffundere calorem et amorem, lenitatem, pacem et patientiam, unde fiant viro proliquo levia, saltem tolerabilia, quae sine uxoris matrisve exemplo et verbo forent ipsis gravia et intoleranda.

Quin propterea improbemus omnem emancipationem feminae. Nihil enim obstat quominus haec gaudeat iure suffragii, quominus artibus vacet et scientiis ad quas apta inveniatur, quominus officia atque munera exerceat eius viribus congrua.

Oportet attamen salva tectaue maneat uxoris atque matris occupatio princeps, ne e sinu videlicet familiae evulsa, femina a domesticis curis distrahatur, indeque tum maritus uxore, tum proles matre, tum domus ac familia privetur custode oculatissimo².

¹ Pius XI, l. c., p. 568.

² Idem Pius XI: «Sicubi sociis nuptae, ob mutatos conversatic pacto mutari debent, auctoritatis] temporis necessitates et indigentis quae exigunt diversa sexus femii commune familiae bonum, modo e cae incolumis maneat, qui altiore (atque sapientia conditus est, et ne tils mutari potest» (l. c.).

225 *C. III.*—Religionis incurius Eadbertus devotae uxoris exercitia primo aegre fert, postea immo et prohibet. Graviorne peccat?

Sol.—Affirmative, si uxorem impedit quominus satisfaciat Dei et Ecclesiae praeceptis. Si vero sine causa ea tantum bona opera impediret quae ex devotione fiunt, ut frequentationem Sacramentorum, et similia, peccaret solum venialiter; sed aliquando peccare posset mortaliter, scilicet cum sibi constaret uxorem magnam utilitatem ex istis depromere. Sic Aertnys-Damen \

226 *C. IV.*—Celsus, devotionis profecto causa, longam vellet ad quaedam sanctuaria peregrinationem instituere. Huic tamen proposito uxor apertissime se opponit. Licetne marito consilium exsequi reluctantia uxoris non obstante? Asserit quidem confessarius quoniam nemo, inquit, praetermittere debet salutem propriam pro salute aliena; porro procurat quis salutem propriam per hoc quod, visitatione illorum locorum, cui plenaria adnexa est indulgentia, plenam peccatorum remissionem obtinet. Num recte confessarius?

Sol.—Ad similem quaestionem, de viro nempe qui volebat signari cruce ad transfretandum ultra mare, respondet D. Thomas: «Ea quae sunt de necessitate salutis non sunt praetermittenda propter ea quae sunt propriae voluntatis; unde etiam Dominus, Mat. 25, reprehendit Phariseos qui docebant praetermittere mandatum de honoratione parentum ut aliquae voluntariae oblationes Deo offerrentur. Ex necessitate autem viro imminet ut gerat curam uxoris, quia *caput mulieris est vir*, ut dicitur I Cor. 11, 3. Unde si uxor sit talis quae sequi non possit propter aliquod legitimum impedimentum, et de eius incontinentia timeatur, non est ei consulendum ut accipiat

i Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 553, ed 1939.

crucem et dimittat uxorem. Secus autem est, si uxor continere voluntarie proponat, vel velit et possit sequi virum suum». Ad rationem vero quam in nostro casu confessarius attulit, ipsemet Angelicus: «Hoc etiam ad salutem propriam viri pertinet ut gerat curam de salute uxoris, quae viri regimini committitur» x.

C. V.—Ursinus et Acharis, coniuges, in perpetuis iurgiis viventes, nec verbis solum, sed etiam verberibus contententes, mutuo consensu, ad operandam animae salutem, divortium a toro et ab habitatione faciunt. Sed ab Arberico confessario sine absolute dimittuntur, donec cohabitent. 227

Sol.—Ad hunc casum Ferreres: «Per se loquendo, isti coniuges in perpetuum separari nequeunt, mutuo consensu. Ratio est: 1.º quia huiusmodi separatio numquam scandalo caret; 2.º quia tenentur lege caritatis et pietatis, seposita occasione, mutuum amorem fovere, et alter alterius onera portare; 3.º quia fere semper maxima incommoda ex tali divortio subsequi solent, scilicet odia reciproca, familiarum dissensiones, periculum incontinentiae, etc.; secus tamen si accedat alia ratio gravis, v. gr. si viri saevitiae in uxorem sint intolerabiles. Quare *per se* recte egit confessarius hos coniuges absque beneficio absolute dimittendo. Attamen conari debuit ut eos verbis pacificis ad mutuam reconciliationem adhortaretur. Aliquando etiam solutio integra huiusmodi casus a solis rerum adiunctis pendere potest; decisio igitur ex circumstantiis temperari debet: in praxi enim quandoque utendum est aliqua epikeia, separationem ad tempus permittendo» 3.

1 S. Thomas, *Quodl.* 4, a. 11, 1.

2 Ferreres, *Casus Conse.*, II, 1195, ed. 1926.

228 C. VI.—Iader, confessarius, quoties hominem probabiliter coniugatum audit solitarium vitium accusare, eum interrogat num solutus aut nuptus sit; nuptum autem quem noverit arguit de adulterio.

Sol.—Recte quidem Iader noster agit paenitentes illos interrogans an sint necne matrimonio iuncti, quoniam matrimonii circumstantia addit novam malitiam pollutioni, in confessione declarandam (cf. I, 140), importat enim, praeterquam luxuriam, iniustitiam, cum potestatem sui corporis non ipse habeat verum compars (I Cor. 7, 5). Et nonnulli quidem Auctores dicunt hanc pollutionem adulterium l. Tamen licet adulterium quoque sit peccatum contra castitatem et contra iustitiam, differt a pollutione de qua sermo; primo, quod adulterium definitur ab illis quoque Auctoribus: copula habita cum persona coniugata vel cum alterius coniuge²; secundo, quod adulterium non venit, prout pollutio, vitium contra naturam.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Uxor faciens eleemosynam contra vetitum viri (I, 422); Femina se accusans quod plus amet coniugem quam Deum (II, 247 ss.); Ob amorem uxoris abstinens a malo, a quo non abstineret ob amorem Dei (II, 253); Femina mortem cupiens mariti (II, 286); Vir et uxor se mutuo scandalizantes (II, 391); Num, ne maritus blasphemet, teneatur uxor a dominicali missa abstinere (II, 403); Mariti praeveniens aggressionem (III, 153); Uxor vovens peregrinationem (III, 370 ss.); Vir incurius uxoris (II I, 474).

» V. gr. Marc, *Inst. Mor.*, I. 793, ed 1927: et Noldin, *Th. Mor.*, de sexto praec., 31, ed. 1932.

² Marc, l. c., n. 781; Noldin, l. c., n. 19.

II. CONIUGALIS COPULA

Doctrina.

Copula coniugalis nuncupatur quae habetur inter coniuges apta de se generationi. Cum uterque coniux, non habens potestatem in corpus proprium (220), illi debeat operam conferre ad alterius placitum, vocatur coniugale debitum iam ab Apostolo dicente: «Uxori vir debitum reddat; similiter et uxor viro» (I Cor. 7, 3). 229

Agitur, imprimis, debitum iustitiae, vi contractus matrimonialis; circa materiam insuper gravem—prolis generationem, vitationem incontinentiae, fomentum amoris coniugalis, pacem mutuam servandam.

Peccat igitur graviter qui, illud obstinate denegat iure et rationabiliter atque serio petenti; leviter, contra, si redditio non denegatur at paululum differtur, si petitio remisse fiat (tunc enim petens non censetur urgere ius suum). At nullo modo peccat contra iustitiam copiam corporis coniugi recusans qui vel ius petendi amisit vel irrationabiliter eo utitur. Coniux amisit ius ob adulterium, formale, certum, consummatum, nec condonatum. Irrationabiliter iure utitur vir plane ebrius et qui, nullam familiae curam gerens, onus familiae alendae totum uxori imponeret; item qui vellet debitum reddi coram aliis, aut cum probabili damno prolis, aut cum periculo sanitatis et vitae tum propriae—v. gr. si laborat vitio organico cordis, unde se exponeret morti subitaneae—tum coniugis—quam tamen ordinariae molestiae graviditatis, partus, lactantiae et educationis prolis a reddendo debito non excusant.

Ad id autem quod iustitia non exigit potest quis teneri 230 ex caritate, pro vitando videlicet scandalo, blasphemiis,

incontinential, pro amore fovendo, dissidiis finiendis, pace servanda.

Pariter, etsi nemo teneatur ex iustitia petere debitum —non enim tenetur uti iure suo—, potest tamen teneri ex caritate, puta si animadvertit coniugem copulam velle eave indigere quam ob verecundiam aliamve causam petere non audet.

Possunt igitur mutuo pacisci coniuges non uti matrimonio; quo certe in casu neuter tenetur debitum reddere; at possunt et pactum initum rescindere, mutuo pari consensu, aut ad tempus suspendere, si immineat, v. gr. incontinentiae alterutrius periculum³.

Casus primus.

231 Symphronius et Syncleta, coniuges catholici, prolis cupiditate flagrant, quam tamen nequeunt naturali modo obtinere. Casu audientes largam nunc habere diffusionem et felicem exitum fecundationem artificialem, nec fidentes tamen novitatibus, confessarium adeunt a quo postulant: Num fecundatio artificialis sit moraliter licita.

¹ «Num coniux perfecte ebrio vel amenti debitum reddere teneatur si petens sit in periculo committendae pollutionis, non una est auctorum sententia. Complures affirmant, quia coniux ex caritate tenetur impedire alterius peccatum, etsi materiale tantum. Horum sententia quadantenus confirmatur illorum physiologorum placito, qui asserunt proli ex copula tempore ebrietatis habita timendum non esse damnum: etenim si proles coniugis ebriosi nascitur infirma aut hebes, id non ex copula tempore ebrietatis habita oritur, sed ex ebriosi constitutione organica ob frequentem ebrietatem alterata. Nonnulli tamen hanc obligationem negant, quia coniux a praecepto caritatis ob iustam causam excusatur; sed iusta causa est fundatus timor ne proles ex eiusmodi copula exorta non solum graves defectus corporis, sed etiam pravos habitus animi contrahat. Practice ergo coniux obligari nequit ad reddendum debitum perfecte ebrio, etsi petens in periculo incontinentiae versetur» (Noldin, *Th. Mor.*, de sexto praec., etc., 89. ed. 1932).

³ De irritatione voti castitatis emissi a conluge, videsis m, 366 ss.

Solutio

Fecundatio (inseminatio melius) artificialis alia est 232
proprie et alia improprie dicta.

Proprie dicta supponit semen obtentum extra naturalem copulam seu immediate emissum, non in feminae vaginam, verum alibi, unde postea syphunculo in vaginam vel uterum inicitur. Haec seminis emissio locum habet: 1.^o in copula onanistica—cum mas prae seminatione se retrahit et semen extra vaginam effundit—et in copula condomistica—cum mas effundit semen in condom—; 2.^o citra copulam, cum mas se voluntarie polluit aut involuntariam pollutionem patitur; 3.^o cum semen e testiculis aspiratur mediante punctura.

Improprie dictam habemus fecundationem artificialem quando copula est naturaliter peracta, qua perfecta semen in vaginam immissum colligitur syphunculo cuius ope immittitur profundius in vaginam vel in uterum \

Si agitur fecundatio artificialis proprie dicta, facile 233
constat eius immoralitas quoties media semen procurandi sint intrinsece illicita, prout contingit in copula onanistica et in pollutione voluntaria: finis, quantumvis optimus, non iustificat media (III. 562).

Nec dubium est de immoralitate fecundationis artificialis quando semen non est mariti sed alius hominis—donatoris, utputa, seminis—, haec enim fecundatio—heterologa—reducitur ad fornicationem aut adulterium, cuius malitia igitur malitiae superadditur quam procuratio seminis connotaret ex propriis *i*.

i Nonnulli loquuntur de fecundatione artificiali improprie dicta cum ante copulam femineum vas artificiose dilatatur ut recipiat membrum virile et retineat semen. Sed hic agendi modus, cum disponat ad fecundationem naturalem, ad artificialem non spectat.

« La fécondation artificielle, hors du mariage, est à condamner purement et simplement comme immorale. Telle est en effet la loi naturelle

Verum. si semen sit mariti—in fecundatione homologa—obtentum per copulam condomisticam, per pollutionem involuntariam aut per testiculi puncturam, liceitatem fecundationis artificialis nonnulli docuere. Communius praxis huiusmodi damnatur quotiescumque mariti semen obtentum sit aliter quam per copulam aptam de se generationi: ad hanc etenim unam coniuges habent ius; haec etiam una respondet humanae dignitati parentum atque prolis \

et la loi divine positive, que la procréation d'une nouvelle vie ne peut être le fruit que du mariage. Le mariage seul sauvegarde la dignité des époux (principalement de la femme dans le cas présent), leur bien personnel. De soi. seul il pourvoit au bien et à l'éducation de l'enfant. Par conséquent, sur la condamnation d'une fécondation artificielle hors de l'union conjugale, aucune divergence d'opinions n'est possible entre catholiques. L'enfant conçu dans ces conditions serait, par le fait même, illégitime.

La fécondation artificielle dans le mariage, mais produite par l'élément actif d'un tiers, est également immorale et, comme telle, à réprover sans appel. Seuls les époux ont droit réciproque sur leurs corps pour engendrer une vie nouvelle, droit exclusif, incessible, inaliénable. Et cela doit être, en considération aussi de l'enfant. A quiconque donne la vie à un petit être, la nature impose, en vertu même de ce lien, la charge de sa conservation et de son éducation. Mais entre l'époux légitime et l'enfant. fruit de l'élément actif d'un tiers (l'époux fût-il consentant), il n'existe aucun lien d'origine, aucun lien moral et juridique de procréation conjugale» (Pius XII, alloc, d. 29 sept. 1949; AAS. 41 [1949]. p. 559 S.).

1 «Generatio prolis humanae enim est actus quo coniuges, per intimam unionem corporum et quasi fusionem personarum, fiunt duo in carne una ac unum generationis principium; unde cum tota sua personalitate, cum corpore nempe, corde ac mente, cooperantur in hanc sublimem ac mysteriosam actionem, qua, dignitatem causalitatis divinae participant, novam generant humanam creaturam, communem fructum ex proprio amore ac ex propria came (ex duabus una effecta) mirabiliter resultantem. Haec vero dignitas coniugum in actu coniugali. i. e. in actu quam maxime personali quem cum tota sua personalitate peragunt, et qui in totam eorum personalitatem multiplicem habet resonantiam, in fecundatione artificiali totaliter evanescit, cum ibidem generatio prolis proveniat ex sola fusione (artificialiter facta) duorum germinum, non vero ex fusione duarum personarum, et proles sit terminus processus mere biologici (quod in brutis animalibus concipi posset), non vero fructus amoris ac actionis personalis coniugum... Actus coniugalis autem cum sua delectatione concomitante, praeter ordinationem quam importat ad prolis

Quaestio igitur tota de fecundatione artificiali improprie dicta. 234

Quae quidem illicita prorsus pronuntianda ubi copula intersit vel fornicaria vel adulterina—fecundatio ex semine non mariti.

Si autem copula coniugalis intellegatur—fecundatio ex semine mariti—, Auctores, magni etiam nominis, de huius moralitate non consentiunt. Quidam ipsam illicitam pronuntiant, quod per assumptionem seminis in syphunculum interrumpatur naturae cursus et semen, licet momentanee, subtrahatur fini suo naturali et ponatur in talibus adiunctis quibus hunc finem nequeat naturaliter attingere. Alii censent, e contra, hanc naturalis processus interruptionem atque diversionem esse dumtaxat materiales, cum moraliter nihil aliud sint quam naturalem processum rite inceptum ad complementum usque perductio.

Stante controversia inter theologos, confessarius ne prohibeat coniuges catholicos, prolem exoptantes nec naturali modo obtinentes, quominus hanc fecundationem artificialem improprie dictam tenant.†

C. II.—Cyra, coniux religiosis; rendis partibus aegrotaret, fuit

generationem, ordinatur quoque a Creato-
ciendum mutuum affectum coniugum in or-
ram. Mediante enim actu coniugali, qui es-
rum (sunt duo in carne una), crescit et per
stabiliorque redditur eorum unio; quae
quam maxime necessaria sunt ad educat-
et ad onera multa ac duratura cum tali
iucunde ac cum amore sustinenda» (Her in
pp. 25-27).

† Abstrahimus pro nunc (cf. 239) a que
monii ob impedimentum seu vitium impotei

a medico. Inde adustio uteri atque fundi vaginae, cuius vel pars superior mansit indurata. Reddens igitur debitum, dolores et haemorrhagias frequentes patitur; insuper, deminuta vaginae profunditate et elasticitate, non nisi quartam admittit partem virilis membri; quo fit ut portio seminis frustra e vagina effluat. Cyra quidem patienter sustinet condicionem physicam adversam, nec curat de doloribus et haemorrhagiis copulam circumstantibus, quandiu marito, a quo tractatur humanissime, reddere valeat debitum ut eius vitet incontinentiae periculum. Licebitne in adiunctis coniugalis haec copula?

Sol.—Affirmative, nam si copula, quae agitur, dimidiata¹ non sit ut plurimum probanda², in casu tamen quo copula perfecta sit physice impossibilis, legitima ubi intercedat causa, est omnino licita.

236 C. III.—Tatta iam copiosam suscepit prolem; petit propterea a confessario num in posterum excusetur a reddendo debito.

Sol.—Respondet Mare: «1.^o Per se, negative; sive agatur de divitibus, sive de pauperibus. Ratio est, quia negatio diuturna communiter periculum incontinentiae secum ducit; insuper proli semper melius est sic esse quam non

¹ «Copula autem dimidiata non est si ad orificium aut inter labia semen deponatur, quia ita nulla nec dimidiata est copula; sed si, in introitu vaginae eamque, licet parum, penetrando, semen effundatur» (Merkelbach, *Th. Mor.*, III, 938n, ed. 3).

³ Ad dubia: «I. An tolerari possit confessarios sponte sua docere praxim copulae dimidiatae, illamque suadere promiscue omnibus paenitentibus qui timent ne proles numerosior nascatur. II. An carpendus sit confessarius qui, omnibus remediis ad paenitentem matrimonio abutentem ab hoc malo avertendum frustra tentatis, docet exercere copulam dimidiatam ad peccata mortalia praecavenda. III. An carpendus sit confessarius qui in circumstantiis sub H copulam dimidiatam paenitenti aliunde notam suadet vel paenitenti interroganti num hic modus licitus sit, respondet simpliciter licere absque ulla restrictione seu explicatione», S. Congr. S. Officii respondit (22 nov 1922): «Ad I dubium: Negative. Ad II et IU: Affirmative» (Denz. 2240n).

esse. 2.^o Per accidens vero, affirmative: si nempe ad specialem condicionem alicuius familiae pauperis respiciamus, quae, prole multiplicata, ad extremam necessitatem redigeretur; item si, ex culpa viri negligentis et vagabundi, familia in gravi paupertate remaneret; quo in casu, praemissa monitione, ne periculi quidem incontinentiae (ex parte viri) ratio habenda erit» \

C. IV.—Ado et Adria, coniuges honestissimi, fundato 237
timet ne proles nascatur infirma vel vitiosa. Tenenturne sibi mutuo reddere debitum?

Sol.—«Affirmative, saltem ubi agitur de causa non breviter transitura sed permanenti. Nulla in hoc casu adest gravis saltem obligatio abstinendi ab usu matrimonii, neque sufficiens datur ratio debitum negandi. Prima pars constat ex litt. enc. Pii XI *Casti Connitbii*. Probatur quod utramque partem ex eo quod ratio petenda esset praesertim ex bono prolis; proli autem melius est sic esse quam penitus non esse. Dein, propter malum illud prolis quod per accidens sequitur, gravissimum incommodum perpetuo abstinendi imponi nequit. Attamen saepe in hoc casu matrimonii contracti usus dissuadendus est ubi grave incontinentiae periculum inde non est timendum». Sic Aertnys-Damen³.

C. V.—Utrum qui post matrimonium vovit castitatem 238
possit uti matrimonio?

Sol.—Ad quaestionem huiusmodi Fanfani: «Resp. Non potest petere debitum, tenetur autem reddere. Non potest petere, quia votum pro ipso valet; tenetur reddere, quia suum votum nequit privare iure suo aliam partem. Aliter dicendum, si ambo voverint, vel etiam si altera pars non solum permisit sed consenserit in voto, inten-

¹ Marc, *Inst. Mor.*, H. 2109, ed. 1927.

² Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, II, 912, ed. 1939.

dens cedere iuri suo: neutri iam licet in casu, ut par est, neque petitio neque redditio. Sed si unus coniux contra suum votum petat, alter reddere potest, imo tenetur, quia ille iuri petendi per votum non renuntiavit. Melius tamen est in his et similibus casibus in quibus, non obstante voto, coniuges versantur in gravi periculo incontinentiae, petere dispensationem a voto» x.

239 C. VI.—Post matrimonium celebratum Theodulphus dubitat num adfuerit impedimentum dirimens. Licetne ei debitum petere, saltem reddere?

Sol.—Impedimentum illud dubium aut est impotentiae (perpetuae et antecedentis) aut aliud quodvis. Si quidem impotentiae, licet ipsi copulam tentare quandiu spes manet ipsam perficiendi—adhibitis quoque remediis sententia medicorum idoneis—; peracto experimento, si impotentia perseverat dubia, potest copulam reddere atque petere; si vero de impotentia certo constat, nequit debitum petere nec reddere—coniuges ergo aut separentur quoad torum, aut petant a competenti auctoritate vel declarationem de nullitate matrimonii vel dispensationem super rato et non consummato—. Si impedimentum dubium est aliud ab impotentia, tenetur aut dispensationem petere ad cautelam aut diligentias debitas facere ut deponat dubium; interea nequit debitum petere, quod tamen reddere potest comparti bona fide petenti; si factis debitis diligentibus, impedimentum pergat esse dubium, debitum reddat atque petat; at si de existentia impedimenti constat, nequit debitum petere nec reddere donec obtineat dispensationem ab impedimento et matrimonium—nisi sanatum in radice—revalidet.

1 Fanfani, *Th. Mor.*, IV, 693.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Ob voluptatem vacans coniugali copulae (I, 24); Coniugatus excludens finem honestum copulae (I, 25); De matrimonii valore dubitans nec inquirens, ab eius ne usu prohibeatur (I, 84); Inseminatio artificialis (I, 135); Vitium solitarium penes recens viduos et penes longinquos ab uxore (II, 560); Pollutio pro fecundatione artificiali (III, 562).

ONANISMUS CONIUGALIS

Doctrina.

Onanismus coniugalis dicit copulae inter coniuges 210 ab usum contra naturam, sic videlicet ut penetratio et seminatio adsint, generatio tamen impediatur et quidem ex industria.

Distinguitur, praecipue in documentis S. Sedis, secundum duas figuras, onanismus artificialis, cum instrumento, *copula condomistica*, et onanismus naturalis sive natus, *copula interrupta*. Copula condomistica fit tecto virili membro cum membrana, quae recipit atque retinet semen. Copula interrupta dicit copulam obiective modo debito inceptam sed abruptam prae seminatione, sic nempe ut ex industria semen effundatur extra vas.

In hanc figuram duplicem redigitur onanismi coniugalis alia quaecumque forma.

Copulae quidem condomisticae par est omnino copula 241 cum cappa glandis—nam operculi, quamvis extensio minor, eadem est ac condom efficacia—, aut cum falsa vagina, cum membrana scilicet quae totaliter cooperiens vaginae interna, supra labia maiora usque protrahitur—quoniam semen ut, liquet, recipietur extra vas debitum.

Quoad copulam ab exordio cum cappa cervicis—seu parvo operimento quod sugendo adhaeret cervici et paululum in vaginam protenditur—, distinguendum est: si semen recipiendum sit in hoc involucro, copula huiusmodi est moraliter aequanda copulae condomisticae; si vero cappa cervicis, potius quam seminis receptaculum, veniat vaginae operculum, copula haec accedit potius copulae cum obturamentis uteri, de qua statim.

Uteri obturamenta sunt quaecumque—annuli, diaphragmata, suppositoria, pessaria, spongiae, spissamenta vel pastilli—claudunt os uteri ne semen in uterum peringat. Copulam cum his, iam ab initio, obturamentis parem esse faciendam copulae interruptae plures existimarunt, in quibus Vermeersch, Cappello et ille qui paragraphum adiecit quintam Instructioni episcoporum Germaniae ad confessarios \ Vermeersch tamen atque Cappello primitivam retractarunt sententiam. Sed et illa paragraphus deleta fuit ab Instructione † Haec igitur copula esset aequanda condomisticae, cum iam sit a capite vitiata.

Alii tamen haesitabundi perstant, quoniam: a) os uteri, aliter atque penis, non est organum partem habens in copula, utpote quae perficitur modo debito quando semen in vagina deponitur; b) utero ablato vel oviductu interrupto transitus seminis ad ovum impossibilis est, quin propterea copula sit vetita coniugibus; c) du-

1 Vermeersch, *De castitate*, n. 262, ed. 1921; Cappello, *De sacramentis*, III. de matrimonio, n. 817, ed. I.—Textus et versio latina § 5 Instructionis dantur a Vermeersch, in art. *Occlusio vaginae estne casus impotentiae an sterilitatis*, in *Periodica*, 14 [1926], pag. (65).

3 Vermeersch, art. nuper citato, et in *Th. Mor.*, IV, 69, ed. 1926; Cappello, iam inde ab ed. II magisque strenue ab ed. III signati operis.

3 Creusen, *L'onanisme conjugal*, in *Nouv. Rev. de Théol.*, 59 (1932), p. 409.

rante graviditate uterus clauditur, at pergit licere copula coniugatis \

Si uteri, contra, obturamenta inserantur in progressu copulae, redit abs dubio casus copulae interruptae.

In quam, demum, figuram revocatur copula cum mediis chemicis seminis occisivis? Apud omnes haec fortunam sequitur copulae de qua modo diximus; revocatur igitur omnium consensu ad copulam interruptam si media illa inserantur post inceptam copulam; si vero a copulae principio, res inter Doctores controversa.

De onanismi, tum artificialis tum nativi, immoralitate 242 nullum omnino dubium: agitur enim actus luxuriae et quidem contra naturam—adversus nempe fini proximo venerei actus, prolis generationi—, de quo D. Thomas: «Post peccatum homicidii, quo natura humana iam actu existens destruitur, huiusmodi genus peccati videtur secundum locum tenere, quo impeditur generatio naturae humanae» 2. Unde Pius XI, contra quandam resolutionem Conventus Anglicani londinensis anni 1930, aperte dixit: «Cum igitur quidam, a Christiana doctrina iam inde ab initio tradita neque umquam intermissa mani-

i Merkelbach, *Th. Mor.*, III, 956, ed. 3.—Ablatio uteri vel interruptio oviductus, si non est iustificata ob sanitatem corporis, dicit peccatum mutilationis ex obiecto seu fine operis; si quaesita ad vacandum copulae sine periculo generandi, superinduit malitiam luxuriae ob operantis finem. Quandiu mulier de hac mutilatione luxuriosa non paenitet, intentio prava pristina deturpat omnes in quas influit copulas subséquentes, quippe quae pergunt esse steriles ex industria, id est in causa voluntarie posita et nondum retractata—copulae sterilitas, etsi iam naturalis physice, imputatur feminae moraliter—. Si vero de mutilatione luxuriosa paenituit, sterilitas non est amplius imputabilis ei in causa. Non ergo, prout nonnulli loquuntur, copula in casu mutilationis ideo est uxori licita quod mutilatio facta fuit multo iam tempore prae copula vel actu independente a copula; sed propterea quod, facta mutilatione, copulae sterilitas potest non amplius imputari feminae copulanti—de reliquo, mutilatio facta ad sterilizandam copulam nequit dici, quandiu Intentio non retractatur, a copula independens.

a S. Thomas, 3 *Contra Gentiles*, 122.

festo recedentes, aliam nuper de hoc agendi modo doctrinam sollemniter praedicandam censuerint, Ecclesia Catholica... altam per os Nostrum extollit vocem atque denuo promulgat: quemlibet matrimonii usum in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari»¹.

Et copula quidem condomistica est obiective mala ab initio; copula, contra, interrupta non est mala obiective nisi cum abrumpitur—id quod est malum in congressu est interruptio copulae industriosa² interruptio- nis autem intentio vitiat iam ab exordiis actum conjugalem penes coniugem ipsam machinantem.

Cum uterque onanismus sit malus ab intrinseco, neutri licet cooperari formaliter, ideoque interius consentire De cooperatione materiali ad condomismum ob vim et metum, iam alias diximus (I, 46, 59, 68 s.). Copulae abrumpendae non licet uxori cooperari materialiter et positive—interruptionem adiuvans vel perficiens—etiam si vir ei minetur mortem nisi se retrahat (cf. I, 58; II, 453 s.).

¹ Pius XI, enc. *Casti Connubii*, AAS. 22 (1930), p. 560.

² «Onanismus cum fortuita et necessaria copulae abruptione confundi non debet; coniuges enim possunt copulam interrumpere v. g. ad evitandum scandalum, aliqua persona ex improvise superveniente; ob spasmus subortum in suris; tunc quippe copulam abrumpunt, non iam ut semen extra effundat, sed ex alio fine; unde illa seminis effusio praeter intentionem eveniens pollutioni involuntariae aequiparatur» (Aert nys-Damen, *Th. Mor.*, II, 895, ed. 1939).

³ Ad dubium: «An possit absolvi mulier, quae pateretur equidem virum, si recte ageret in copula conjugali, vehementer autem desiderat ut se retrahat vir, quia mulier illa prolem habere formidat», S. Paenitentia-ria respondit (27 mali 1847), «Negative» (Batzill, *Decisiones S. Sedis de usu et abusu matrimonii*, ed. 2, p. 19).

Casus primus.

Erasma virum habet qui perpetuo copulam interrumpit. Ipsa corde reprobatur hanc rationem agendi. Quapropter a confessario sciscitatur num possit copulam admittere, num etiam pettere. 243

Quae responsio a confessario danda?

Solutio

Potest profecto Erasma copulam admittere et positive copulae inceptae cooperari sub metu gravis damni. Haec enim copula non est mala obiective, cum non sit praeter interruptionem copula illicita nisi ob coniugis intentionem pravam; neque dici potest mala cooperant!, quandiu uxor perversae viri menti non se accommodat, sed copulam vult naturali modo complendam—praevisio de futura mariti retractione naturam copulae non mutat—, et habet causam sufficientem—grave quod imminet damnum proprium—ne impediatur viri peccatum. Uxor, aliis verbis, dum copulam admittit et vacat copulae quam praevidet interrumpendam, cuius tamen interruptioni non consentit, cooperatur copulae quae ab initio est coniugi prava ob huius intentionem; in qua cum nullam habeat partem, non cooperatur coniugi formaliter; cooperatur quidem materialiter—negative, permittens abruptionem, et positive, copulam admittens atque fovens—, verum haec ipsa cooperatio positiva, cum non sit ad copulae interruptionem sed ad copulam, nequit dici immediata—in actu pravo—sed mediata—actui pravo praevia*.

i Cf. II. 452 ss.—Ad dubium: «An uxor debitum licite possit reddere viro, si ei experientia constat virum suum semen extra vas effundere ad impediendam generationem», S. Paenitentiarum respondit (15 nov. 1816):

245 Num liceat quoque uxori quae in periculo incontinentiae versatur petere debitum a viro quem experientia novit interrupturum esse copulam, S. Paenitentiarum non credit satis exploratum anno 1816, ideoque a responsione abstinuit huic quaesito danda. At privatam dedit responsionem Card. Di Pietro, tunc temporis Maior Paenitentiarum: «Cum non paucis gravibus probatisque theologis sentio in expositis circumstantiis posse uxorem debitum etiam a viro suo petere, si ipsa in periculo incontinentiae versetur. Etenim, ut theologii isti dixerunt, hoc etiam in casu minime censetur uxor viri sui peccato cooperari, cum ipsa tantum tunc debitum petens iure suo utatur atque utatur quidem ex iusta causa, ne videlicet in

«Probati castigatique morales theologii in hoc consentiunt, ut praefato in casu liceat uxori debitum reddere, si ex eius denegatione male habenda sit a viro suo et grave inde incommodum sibi timere possit; neque enim, aiunt, hoc in casu censetur uxor viri sui peccato formaliter cooperari, sed illud tantummodo ex iusta et rationabili causa permittere. Moneat tamen orator huiusmodi uxorem, ut non cesset prudenter commonere virum suum ut ab hac turpitudine desistat» (Batzill, l. c., p. 11 s).—Iterum ad quaestionem: «Potestne pia uxor permittere ut maritus suus ad eam accedat, postquam experientia ipsi constiterit eum more nefando Onam se gerere..., praesertim si uxor, denegando, se exponat periculo saevitiarum, aut timeat ne maritus ad meretrices accedat», eadem S. Paenitentiarum respondit (23 aprilis 1822): «Cum in proposito casu mulier, e sua quidem parte, nihil contra naturam agat, detque operam rei licitae, tota autem actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui, loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit; ideo si mulier, post debitas admonitiones, nihil proficiat. vir autem instet, minando verbera aut mortem, aut alias graves saevitias, poterit ipsa (ut probati theologii docent) citra peccatum passive se praebere, cum in his rerum adiunctis ipsa viri sui peccatum simpliciter permittat, idque ex gravi causa quae eam excuset, quoniam caritas, qua illud impedire teneretur, cum tanto incommodo non obligat» (Batzill, l. c., p. 13).—Haec altera responsio fere ad litteram redit, ad similia quae iterantur dubia, diebus 1 febr. 1823, 8 iunii 1842 et 3 apr. 1916 (Batzill, ib., pp. 15, 18, 35).—In eodem sensu abundat Pius XI in enc. *Casti Connubii* (31 decembris 1930), dum dicit: «Ootime etiam novit Sancta Ecclesia non raro alterum ex coniugibus pati potius quam patrare peccatum, cum ob gravem omnino causam perversionem recti ordinis permittit. quam ipse non vult, eumque ideo sine culpa esse, modo etiam tunc caritatis legem meminerit et alterum a peccando arcere et remove ne negligat» (Denz. 2241).

peccatum incontinentiae labendo, grave malum animae suae consciscat»¹. Quod diebus illis non pauci theologi propugnabant, nunc est communiter receptum³.

A fortiori licet uxori ob rationem proportionatam, minus igitur gravem, se habere negative sive passive ad copulam huiusmodi, quam a marito nempe interrumpendam praevidet.

Alii casus.

C. II.—Rosa virum habet quem constanti experientia 246 cognoscit onanistam esse, copulae abruptione tantum adhibita. Pluries ac pluries conata est illum a tam nefando crimine retrahere, sed incassum. Petit igitur a confessario num sibi gaudere liceat de voluptate actus a viro abrupti.

Sol.—Incompleta voluptas, quae ex huiusmodi actu incompleto enascitur potest a muliere acceptari. Quousque enim vir non se retrahit, actus bonus est; delectatio autem actus boni bona est. Quinimmo et plenam voluptatem acceptare femina potest si haec contingat durante

¹ Batzill, l. c., p. 12.

³ Ita in recentioribus Vermeersch, *Th. Mor.*, l. c.: «Quando vir mero retractu abutitur matrimonio, tota actus malitia ex viri malitia procedit: uxor rei licitae operam praestat. Quare, attenda sola cooperatione, nulla specialis causa requiritur cur debitum reddat; nec copulam petere prohibetur si ipsi grave est copula privari. Si tamen uxoris repulsam maritus ad recte utendum coniugio satis cito adduci possit, caritas obligabit uxorem ad procurandam mariti emendationem per denegationem quae ipsi uxori non sit gravis». Item Aertnys-Damen, l. c., n. 89G: «An possit uxor etiam petere debitum a viro onanista? R. Non potest, nisi adsit gravis causa; quia tenetur ex caritate viri peccatum impedire. Iusta autem causa erit periculum incontinentiae, diuturna privatio iuris petendi, cum perpetuo scrupulo num iusta adsit causa petendi; quare non tenetur abstinere nisi semel iterumve». Demum Fanfani, *Th. Mor.*, IV, 701: «Utrum mulier petere possit debitum a viro onanista. R. Per se, affirmative: quia utitur lure suo; et qui suo utitur iure, nulli facit iniuriam; ex caritate autem ad impediendum scilicet peccatum mariti, teneri potest ad abstinendum a petitione debiti coniugalibus».

actu onanistico, antequam vir se retrahat: acceptatur enim in actu qui natura sua bonus est et non nisi ob posteriorem malam mariti voluntatem ad finem non perducitur. Ita cl. Palazzini \

- 247 C. III.—Utrum mulier quae materialiter tantum et licite cooperatur viro onanistae, si vir se retrahit antequam mulier seminaverit, possit seipsam excitare usque ad seminationem?

Sol.—Fanfani respondet: «Negative, quia seminationem data opera procurare non ordinatam ad complementam copulam, est vera pollutionis procuratio directe intenta; porro complementum copulae quando vir iam se retraxit impossibile evadit, et sola remanet possibilitas pollutionis, quam directe intendere numquam licet» 2.

- 248 C. IV.—Leander, medicus, dixit Berthae: Si iterum concipis, morieris ante partum vel in ipso partu. Quare Bertha ex eo die debitum denegat marito suo, Titio, qui ex tunc onanistice utitur coniugio. An Bertha absolvi possit?

Sol.—Ad hunc casum Ferreres: «Negative. Nam et ipsa graviter peccat inducens Titium ad utendum coniugio onanistice et gravissime onanisticam copulam libenter admittens, etsi onanismus exerceatur tantum per retractionem, et a fortiori si aliis modis exerceretur. Medici parum pii facile dicunt adesse periculum mortis in conceptione, etiam ubi verum periculum non est. Si certum esset adesse periculum proximum mortis, tum Bertha tum Titius deberent vel se committere divinae providentiae recte utendo coniugio, v. gr., quindecim illis diebus intermestrialibus (cfr. 251 ss.), aut omnino abs-

1 Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, I, 237.

2 Fanfani, l. c.

tinere ab usu coniugii et vivere tamquam frater et soror» \

C. V.—Olympia uxor exponit confessario iam saepius 249 se rogasse maritum copulam vel omittere vel rite facere, sed frustra; quapropter sibi in animo esse in posterum denegare debitum, quoniam certo certius maritus se retrahet. Respondet confessarius laudando quod fortiter obstiterit; addit tamen uxorem debere viro obsecundari quamdiu non utitur onanistice instrumento.

Sol.—«Confessarii erat hortari Olympiam ut etiam fortius obstaret onanismo mariti. Sed quod ad reddendum debitum ubi vir certo praevidetur se retracturus, falso Olympiae obligationem imposuit, quippe quae nulla sit ex iustitia: vir enim ex contractu matrimoniali ius habet ad usum legitimum matrimonii, nullum autem ad copulam in qua ordo naturae voluntarie pervertatur». Sic Genicot².

C. VI.—An confessarius qui, sive ex spontanea confessione, sive ex prudenti interrogatione (cf. 17G), cognoscit paenitentem esse onanistam, teneatur illum de huius peccati gravitate, aequae ac de aliorum peccatorum mortalium, monere, eumque (uti ait Rituale Romanum) paterna caritate reprehendere, eique absolutionem tunc tantum impertiri cum sufficientibus signis constet eundem dolere de praeterito et habere propositum non amplius onanistice agendi? 250

Sol.—Huic quaesito respondit S. Paenitentiarum (10 martii 1886): «Affirmative iuxta doctrinas probatorum Auctorum» ³.

¹ Ferreres, *Casus Conse.*, II, 1270, ed. 1926.

¹ Genicot, *Casus Consc.*, 1132, ed. 1928,

³ Batzill, l. c., p. 25, ed. 1937.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Quid agendum uxori sub vi a marito illata pro copula condomistica (I, 46); Utrum cooperatio ad onanismum vel sodomiam sit coniugi licita sub metu mortis (I, 59); Quid agendum uxori sub vi atque metu mariti in copula condomistica (I, 68); Num illi liceat marito morem gerere corporisque facere copiam (I, 69); Confessarius omnem aut nullam interrogans coniugatam circa onanismum (I, 324 s.).

IV. CONTINENTIA PERIODICA

Doctrina.

251 in cyclo menstruo feminae duplex datur periodus: alia, brevior, cuius dies dicuntur fertiles, fecundi vel genesici, nam copulam in ipsis rite habitam solet conceptio consequi; alia, longior, cuius dies vocantur steriles, infecundi, agenesici, quod licet copula recte fiat, conceptio impossibilis sit vel improbabilis.

Nemo dubitat de liceitate copulae coniugalis diebus quoque infecundis: coniuges enim tunc temporis copulantes impedimentum nullum apponunt vel copulae complemento vel naturali cursui copulae completae.

Quaestio est igitur num coniugibus liceat copulam habere diebus dumtaxat sterilibus; ita scilicet ut diebus fertilibus abstineant a copula seu se contineant. Aliis verbis, num continentia, ut dicitur, periodica, usum matrimonii coarctans ad solos dies steriles, infecundos seu agenesicos uxoris, sit necne licita.

Ubi, imprimis, notanda est quae inter hanc methodum et onanismum (240 ss.) differentia intercedit: quamvis enim finis coniugum idem sit, prolem nempe vitare, in

onanismo vitiatur copula, quae in continentia periodica rite prorsus perficitur.

Porro propositae quaestioni abunde **respondit** 252 Pius XII:

1.º Haec methodus, ut plurimum, est illicita. Matrimonium enim dicit statum vitae in quo, prout conferuntur nonnulla iura, imponuntur pariter coniugibus correlativa officia; eis datur quidem ius ad plenam satisfactionem concupiscentiae, nempe ad copulam—extra matrimonium omnino vetitam—, sed ab eis itidem exigitur positiva cooperatio propagationi generis humani. «Ergo amplecti statum conjugalem, constanter uti concessione quae ipsi est propria et in ipso dumtaxat licita, simulque, ex altera parte, se perpetuo ac consulto a primaria ipsius obligatione, absque gravi motivo, se subtrahere, idem est ac peccare contra essendi rationem matrimonialis vitae» \

Peccant igitur coniuges qui hanc methodum tenerent ob egoismum, animi levitatem, intentionem gerendi vitam liberam et mundanam, aversionem a sacrificio quod praegnatio, partus, educatio filiorum secum ferunt. Dicuntur etiam, communius, peccare graviter, tum quod propagatio humani generis sit magnum bonum, tum quod Summus Pontifex excusationem unam admittat, grave motivum nempe.

1 «Il contratto matrimoniale, che conferisce agli sposi il diritto di soddisfare l'inclinazione della natura. Li costituisce in uno stato di vita, lo stato matrimoniale. Ora ai coniugi, che ne fanno uso con l'atto specifico dei loro stato, la natura e il Creatore impongono la funzione di provvedere alla conservazione del genere umano. E' questa la prestazione caratteristica, che fa il valore proprio dei loro stato, il *bonum prolis*. L'individuo e la società, il popolo e lo Stato, la Chiesa stessa, dipendono per la loro esistenza, nell'Ordine da Dio stabilito, dal matrimonio fecondo. Quindi abbracciare lo stato matrimoniale, usare continuamente la facoltà ad esso propria e in esso solo letta, e, d'altra parte, sottrarsi sempre e deliberatamente, senza un grave motivo, al suo primario dovere, sarebbe un peccare contro il senso stesso della vita coniugale» (Pius XII, alloc, diei 29 oct. 1951: AAS. 43 [1951], p. 845 s.).

253 2.^o At motivum excusans admitti debet quo continentia periodica, sive ad tempus sive in perpetuum, licita pronuntietur. Nam agitur praeceptum, de propaganda specie, affirmativum, quod non obligat cum gravi incommodo, legi extrinseco. Motivum propterea grave si intercedat, a bona debitoris voluntate alienum, patefacit debiti solutionem inopportunam esse, saltem non exigibilem, rationabiliter, a creditore—in casu, a genere humano \

Hoc profecto motivum desumi potest ex *indicatione*, ut dicitur, sive medica—v. gr., si conceptio feminam exponeret notabili periculo vel mortis vel permanentis aegritudinis—, sive eugenica—v. gr., si practice certum esset matrem non edituram filios nisi mortuos aut cum vitiis hereditariis momentosis et incurabilibus—, vel oeconomica—v. gr., si ob paupertatem non valerent coniuges filium alium sustentare, saltem sine damno educationis congruae filiorum quos iam habent—, vel socialis—verbi gratia, si unus e coniugibus ita filiis habendis adversatur ut, nisi ad continentiam periodicam confugiat, partem deserat, adulterium committat, onanismo vacet; tunc enim compars potest licite permittere malum minus ad vitanda maiora¹

C a s u s p r i m u s .

254 Incidit inter convivas sermo de periodica continentia. Plures iam produxerant de re sententiam cum Lae-

¹ «Una prestazione positiva può essere omessa, se gravi motivi, indipendenti dalla buona volontà di coloro che ne sono obbligati, mostrano che quella prestazione è inopportuna, o provano che non si può dal richiedente—in questo caso il genere umano—equamente pretendere» (Pius XII. l. c., p. 845).

! «Da quella prestazione positiva obbligatoria possono esimersi, anche per lungo tempo, anzi per l'intera durata del matrimonio, seri motivi, come quelli che si hanno non di rado nella cosiddetta *indicatione* medica, eugenica, economica e sociale. Da ciò consegue che l'osservanza dei tempi infcondi può essere lecita sotto l'aspetto morale; e nelle condizioni menzionate è realmente tale» (Id., lb., p. 846).

tantius ita locutus est: Quadragenario minor habeo duos filios et duas filias; propterea dixi uxori: Sufficit, satis enim superque fecimus pro humanae speciei propagatione; igitur in posterum habebimus commercium diebus sterilibus frequentissimum, nullum vero fertilibus. Interrogatus num uxor ab omni oppositione abstinuerit, sic Laetantius: Opposuit quidem scrupulum conscientiae, quem tamen de facili superavi hac simplici ratione: Si Dominus laudavit in evangelic servum qui, acceptis duobus talentis, retulit alia duo, fieri nequaquam potest quin nos etiam collaudet qui recepimus duplicem existentiam et quadruplem donavimus. Placuit sermo auditoribus. Unus tamen, animo intranquillus, hanc quaestionem parochus proposuit: Num proles numerosa sit sufficiens motivum ad servandam continentiam periodicam.

Quae danda a parochus responsio?

Solutio

Fieri equidem potest prolem numerosiorem excedere 255 parentum facultates, physicas, sociales, oeconomicas; quo certe in casu concedendum est coniuges satisfecisse praecepto de specie propaganda pro mensura virium ipsorum.

Numerosior attamen proles non est, per se loquendo, extra officia matrimonialia. Prout tributa seu contributiones civitati debitae oportet servent proportionem ad cuiusvis civis fortunam, ita quod plures exigantur ab uno, pauciores ab alio, nullae a ceteris; simili quoque modo tributum debitum speciei humanae propagandae mensurandum est ad vires cuiusque matrimonii, ita ut parentes idonei qui plures valent filios enutrire compensent pro illis qui cibum et educationem suppeditare nequeunt nisi paucis vel nemini. Non enim semel comprobatum

est coniuges familiam restringentes ob angustias quas dicunt oeconomicas, luxui esse deditos atque effusis sumptibus. Nec ab oculis decidat Summum Pontificem motiva pro periodica continentia sufficientia ad ea contrahere quae a bona coniugum voluntate non dependent (253). Quoties voluntas non est bona, quando prolis vel vitatio vel limitatio habet fontem sensualitatem, levitatem animi, egoismum, odium laboris atque sollicitudinis, cupidinem fruendi mundanis rebus, diffidentiam divini auxilii, aliasve causas similes, ne loquamur de motivis sufficientibus; tunc siquidem «voluntas vitandi constanter fecunditatem matrimonii, simul atque satiandi sensualitatem, ortum alium habere nequit praeter falsam vitae aestimationem et rationes alienas a morum normis» x.

256 Obiciet forsitan aliquis: Falsa vitae aestimatio dicit quidem errorem, at non malum morale. Sed, prout iam alias vidimus, moraliter malus est voluntatis motus consequens errorem intellectus voluntarium sive vincibilem (II, 212). Si propterea electio et praxis continentiae periodicae ex falsa procedunt aestimatione vitae, errorem sequuntur intellectus, errorem autem qui est catholicis coniugibus vincibilis sive voluntarius, cum illud deponere deberent ad rationis atque fidei dictamina. Porro ratio atque fides docent matrimonio adnexa quaedam iura at simul correlativa onera: qui beneficio gaudet, impleat quoque et officium.

1 «Se pero non vi sono, seconde un giudizio ragionevole ed equo, simill gravi ragioni personali o derivanti dalle circostanze esteriori, la volontà di evitare abitualmente la fecondità della loro unione, pur continuando a soddisfare pienamente la loro sensualità, non può derivare che da un falso apprezzamento della vita e da motivi estranei alle rette norme etiche» (Pius XII, l. c., p. 846).

Alii casus.

C. II.—Prudenter interrogans Lupercum de matrimo- 257
nii usu, detegit confessarius hunc servare continentiam
periodicam quod iam in celebratione matrimonii inten-
derit ius matrimonio utendi coarctare ad solos dies ste-
riles; quapropter copulam hisce diebus habitam illicitam
pronuntiat.

Sol.—Recte prorsus. Ut habet etenim Pius XII: «Si
in matrimonii celebratione unus saltem e coniugibus in-
tenderit ad dies steriles coarctare ius ipsum coniugale,
nec eius usum tantum, sic ut ceteris diebus non sit com-
parti ius petendi copulam, haberemus vitium essenziale
matrimonialis consensus, quod quidem secum ferret nul-
litate[m] coniugii, ius enim ex contractu matrimoniali
exurgens est stabile, non interruptum vel intermissum,
unius ad alium coniugem»¹. Patet autem quod, ubi ma-
trimonium sit invalidum, usus matrimonii aequipollet
fornicationi, cum copula non sit obiective licita nisi vali-
de coniugatis.

C. III.—Andronicus, confessionem peragens, fatetur 258
se dum matrimonium iniit limitare intendisse, non qui-
dem ius uxoris ad copulam, sed huius iuris usum ad dies
steriles. An carpendus?

Sol.—Affirmative. Licet enim matrimonium fuerit va-
lidum, non ideo continentia periodica est probanda: elec-

¹ «Se già nella conclusione dei matrimonio almeno uno dei coniugi
avesse avuto l'intenzione di restringere ai tempi di sterilità lo stesso *di-
ritto* matrimoniale, e non soltanto «l suo *uso*, in modo che negli altri
giorni l'altro coniuge non avrebbe neppure il diritto di richiedere l'atto, ciò
implicherebbe un difetto essenziale dei consenso matrimoniale, che por-
terebbe con sè la invalidità del matrimonio stesso, perché il diritto de-
rivante dal contratto matrimoniale è un diritto permanente, ininterrotto,
e non intermittente, di ciascuno dei coniugi di fronte all'altro» (Pius XII.
l. c., p. 845).

tio namque et praxis huius methodi petit, praeter causam rationabilem, consensum liberum utriusque coniugis. Uterque siquidem habet ius petendi copulam diebus quoque fecundis. Ergo denegatio ex parte unius huiusque pertinax propositum copulam denegandi illis diebus, manifestam dicunt iniustitiam erga compartem, quae iure suo privatur atque cogitur ad servandam continentiam quam servare nulla lege tenetur.

259 C. IV.—Ewaldus, qui continentiam servat periodicam, se apud confessarium culpa absolvit quoniam consilium limitandi iurium matrimonialium usum ad periodum sterilem initum fuerit, ob rationes praeterquam legittimas, libero atque mutuo consensu, suo videlicet et uxoris. An propterea non sit inquietandus?

Sol.—Negative. Quoniam consensu illo libero et mutuo non obstante, praxis tenaciter retenta obvium habet periculum. Si enim coniuges ad continentiam periodicam confugiunt pro vitanda prole, quamvis ob rationes legittimas, parati tamen ad adhibenda artificialia media pro impedienda generatione, ad destruendum fetum vel encandam prolem recens natam—si quando contingat ut praeter intentionem et propositum vel copulentur diebus fecundis vel praegnatio et partus consequantur—, haec ipsa animi dispositio penes periodicam tenentes continentiam est, abs dubio, damnanda. Immo, quamvis actu non sint ita dispositi, discrimen ipsis imminet, ne videlicet, cum adversus contingat casus, sentiant se fortiter impulsos ad quandam ex praedictis rationibus agendis; nam aestimantes conceptione et partu se penitus delusos, facile tentabuntur ut pravis illis mediis deponant onus quod habent perinvisum; quapropter si conscii proximi huiusmodi periculi, non tamen valedicunt continentiae periodicae, culpam profecto incurrunt.

C. V.—Timon et Henedina, coniuges religiosi, sincere 260
fatentur confessario se plane esse dispositos ut suscipiant atque curent prolem quam servantes continentiam periodicam intendunt ob graves rationes evitare. Num igitur hanc methodum tenere possunt mordicus?

Sol.—Adhuc sunt pericula inhaerentia methodo huiusmodi. Primum quidem incontinentiae, quod, ex medicorum sententia, grave instat diebus feminae fertilibus, et gravius penes coniuges qui ut liberius fruantur carnali voluptate ad periodicam confugiunt continentiam; porro cum ex doctrina communi theologorum, si unus coniugum inveniatur in periculo proximo incontinentiae, alter adstrictus sit ad reddendum et petendum debitum, liquet tum vitiationem copulae, tum tenax propositum ipsam vitandi in his adiunctis non esse absque peccato. Aliud est periculum cui committitur dilectio mutua coniugum: crescit etenim amor expletione desideriorum, sed amor coniugalis, stimulatus cohabitatione atque innumeris aliis circumstantiis, ad optatum exitum perducitur in actu matrimonii; sibi vetare hoc complementum est sibi met inferre violentiam; quod, quoniam durum atque molestum est, iis maxime qui continentiam periodicam elegerunt delectationis igitur, facile generat apathiam, indifferentiam et animorum disiunctionem; hinc dissidia domestica, quorum postremus exitus separatio et divortium; peccarent ergo coniuges qui coram huiusmodi discrimine pergerent pertinaces in observantia continentiae, etsi consensu mutuo et libero atque ob rationes graves suscepta.

C. VI.—Quid agendum coniugibus catholicis volentibus 261
servare continentiam periodicam?

Sol.—Debent imprimis certiorari de existentia motivi sufficientis. Porro cum perfacilis sit hallucinatio in causa propria, coniuges catholici consulant probum medi-

cum, si motivum sit medicum vel eugenicum, et consultant semper confessarium, quodcumque sit propositi motivum. Haec fuit sententia catholicorum Hollandiae medicorum, in Congressu habito mense iunio anni 1935: «Catholicis nefas est ad periodicam confugere continentiam nisi ob rationes serias atque de consilio confessarii. Si rationes attinent valetudinem, oportet consultant et medicum»¹. Sint ergo coniuges catholici sincerissimi erga huiusmodi consiliarios: agitur enim de exemptione a cooperatione debita humano generi propagando, et debita quidem non ex praecepto hominum, qui iudicant secundum ea quae apparent, at ex praecepto Dei, qui scrutatur corda. Et si quidem consilium sit menti ipsorum adversum, committant se coniuges divinae Providentiae: Deus enim novit nos temporalibus bonis indigere (Mt. 6, 32) simul atque promisit haec omnia nobis adicienda quandiu, fideliter obsequentes Eius mandatis, quaeramus Ipsius regnum atque iustitiam (Mt. 6, 33). Si vero consilium illis faveat, ne obliviscantur umquam excusationem tandiu esse validam quandiu motiva persistent quibus fundatur; casus etiam incidere in quibus observantia continentiae periodicae, licite suscepta, intermittenda sit vel prorsus deserenda pro salvandis matrimonii finibus secundariis (260).

¹ Cit. a Rice, in *The (American) Ecclesiastical Rev.*, 1936, I, p. 586.

DE OFFICIIS LAICORUM

I. MUNUS LAICORUM IN ECCLESIA

Doctrina.

Prout habetur in Codice L. C.: «Ex divina institutione 262
sunt in Ecclesia *clerici a laicis* distincti» (can. 107); et:
«Ordo ex Christi institutione clericos a laicis in Ecclesia
distinguit ad fidelium regimen et cultus divini ministe-
rium» (can. 948).

Licet ordine orbat, laici tamen participant regale
sacerdotium (1 Petri 2, 9), sunt membra mystici corporis
Christi et in eis per caritatem Spiritus Sanctus uti in
templo inhabitat. Hinc quod non modo orationes fun-
dant etiam communes—v. gr. in familia—, sed quod co-
operentur ad cultum officialem, Missae utputa inser-
vientes, vel canentes in divinis officiis. Hinc etiam quod
cooperari et ipsi debeant ad adventum et dilatationem
regni Dei in terris, non dumtaxat Christianae vitae exem-
plo—quasi testes—, verum et precibus atque sacrificiis
pro bonorum perseverantia et pro peccatorum conversio-
ne J. Hinc, denique, quod ad opera interius excitentur

1 «Tous (les fidèles) aussi sont engagés, et aujourd'hui toujours da-
vantage, à penser, dans la prière et le sacrifice, non seulement à leurs

multiformis misericordiae, sive corporalis sive spiritualis, erga proximos indigentes.

263 In spiritualis misericordiae operibus, proculdubio doctrina, tum intra domesticos parietes—quoad educationem scilicet filiorum—, tum in vita politica—Dei et Ecclesiae iurium defensione—, tum maxime ad laboris et otii socios—in officina, in fabrica, in ipsis quoque ludis—, ad istos cum sit laicis magis quam clericis apostolatus verbi expeditus, quos ab Ecclesia alienatos, saltem alienos, forsitan et Ecclesia infensos ad ovile Christi perducant. Et quoniam Dominus «mandavit illis unicuique de proximo suo» (Eccli. 17, 12), hi quicumque laici recte dici possunt missionem a Spiritu recepisse, in cuius exercitio fere omnimoda libertate gaudent, quandiu nempe intra orthodoxiam se contineant atque praescripta servant competentis auctoritatis ecclesiasticae

264 Praeterquam ad hunc apostolatum, late dictum, quidam laici² vocari possunt a Hierarchia in auxiliares apostolatus stricte sumpti; missionem ab ea accipientes ut doceant v. gr. catechismum, religionem, quinimmo et theologiam—quandiu capaces inveniantur—, apostolatus hierarchic³ fiunt participes.

Sed hoc quodcumque magisterium laici obtinent, non

nécessités privées, mais encore aux grandes intentions du règne de Dieu dans le monde, selon l'esprit du *Pater noster*, que Jésus Christ lui-même a enseigné» (Pius XII, alloc, d. 14 oct. 1951; AAS. 33 [1951], p. 787).

¹ «Il va de soi que, en tout cas, l'initiative des laïques, dans l'exercice de l'apostolat, doit se tenir toujours dans les limites de l'orthodoxie et ne pas s'opposer aux légitimes prescriptions des autorités ecclésiastiques compétentes» (Pius XII. l. c., p. 789). I

² «(Tous les chrétiens ne sont pas appelés à l'apostolat laïc au sens strict. Nous avons déjà dit que l'Evêque devrait pouvoir prendre des collaborateurs parmi ceux qu'il trouve disposés et capables, car la disposition seule ne suffit pas. Les apôtres laïcs formeront donc toujours une élite» (Pius XII, alloc, d. 5 oct. 1957; AAS, 49 [1957], p. 931).

³ «Apparet Actionem Catholicam alio non spectare nisi ut laici apostolatum hierarchicum quodammodo participant» (Pius XI, litt. ad Card. Bertram; AAS, 20 [1928], p. 385) I

ex proprio iure neque ex charismatica divina vocatione, sed ex uno mandato Hierarchiae, cui propterea omnino subsint necesse est \

Huic apostolatu laicorum officiali vacant membra Actionis Catholicae, a Romano Pontifice institutae hoc fine praecipuo ut adiutricem videlicet navent operam apostolatu Ecclesiae hierarchico.

Casus primus.

Godefridus, iuventutis actionis catholicae praeses in 265
parocia S. Hieronimi in vico X, saepe saepius parochi Ariminio obstitit in quibusdam decisionibus circa ipsam associationem cui praeest et independentiam plus minusve absolutam vindicare ab eo non veretur, etiam in iuvenibus educandis.

Ariminius, qui de hoc agendi modo iam pluries Godefridum, ceteroquin optimum iuvenem, reprehenderat, quodam die cum eodem longum sermonem instaurat et magna cum admiratione audit Godefridum disserentem de munere independent! quod laicis competit in ecclesia, in associatione, sed non in subordinatione hierarchiae ecclesiasticae, de necessitate agnoscendi eiusmodi independentiam laicis in bonum Ecclesiae etiam in officio magisterii, sed maxime in Ecclesiae gubernio. Exoptat insuper Godefridus his in sermonibus ut Summus Ponti-

1 «Il va de soi que l'apostolat des laïques est subordonné à la hiérarchie ecclésiastique; celle-ci est d'institution divine; il ne peut donc être indépendant vis-à-vis d'elle. Penser autrement serait saper par la base le mur sur lequel Christ lui-même a bâti son Eglise» (Pius XII, alloc, d. 14 oct. 1951; AAS, 33 [1951], p. 788).—«Qui ad docendum ita vocantur, in Ecclesia proprie non nomine suo, neque titulo scientiae theologicae, magistros agunt, sed vi missionis quam a legitimo Magisterio receperunt, eorumque facultas manet semper huic subiecta neque umquam fit sui iuris, seu nulli potestati obnoxia» (Pius XII, alloc, d. 31 maii 1954; AAS, 4C [1954], p. 314 S.).

fex in proximo Consistorio quosdam Patres Cardinales laicos creet.

Ariminius, magno stupore captus, quid respondeat nescit. Relicto Godefrido, ut eidem postea maiore cum certitudine respondere possit, theologum quendam consulit.

Quid huic ad singula dicendum?

Solutio

266 Improbanda, imprimis, practica Godefridi insubordinatio: associationes enim Actionis Catholicae subsunt auctoritati Ecclesiae, ideoque parochio associatio parochialis. Exoptata igitur independentia non nisi summa iniuria vindicatur. Maxime in iunioribus educandis, nam potestas docendi, a Christo data Apostolis, horum competit successoribus, Romano nempe Pontifici et episcopis; ceteri, clerici pariter atque laici, eam participant pro modulo quo sibi docendi officium ab illis committatur; potest laicus, sicut et clericus, mandatum accipere; sed uterque mandato indiget Hierarchiae 2.

1 «Per la sua natura e il suo scopo di speciale e diretta collaborazione dell'Apostolato gerarchico della Chiesa, l'A. C. I. dipende dalla Santa Sede e in conformità alle sue norme direttive: al centro, da una Commissione episcopale e per essa dal Prelato Segretario della medesima Commissione; nelle diocesi, dal proprio Vescovo; nelle parrocchie, dal Parroco; negli Istituti, dal Direttore ecclesiastico» (art. 5).—«Nelle singole diocesi l'A. C. dipende dal proprio Vescovo, che la dirige in conformità alle norme supreme della Santa Sede» (art. 34).—«L'A. C. parrocchiale è sottoposta all'autorità del Parroco, il quale la esercita in conformità alle norme direttive del proprio Vescovo» (art. 52). Sic in Statutis Actionis Catholicae Italicae, approbatis a Pio XII, 11 oct. 1946 (De Angelis, *De fidelium associationibus*, II. p. 456 ss.).

* «De celui-ci (le pouvoir d'enseigner), seuls les détenteurs de l'autorité ecclésiastique sont dépositaires. Les autres, prêtres ou laïcs, collaborent avec eux dans la mesure où ils leur font confiance pour enseigner fidèlement et diriger les fidèles» (Pius XII, alloc, d. 5 oct. 1957; AAS, 49 [1957], p. 924 S.).

Quoad munus independens quod tribuit laicis in asso- 267
 elatione, magisterio et gubernio, oportet ne a Godefridi
 excidat animo duplex iuris Canonici praescriptum: «Om-
 nes associationes, etiam ab Apostolica Sede erectae, nisi
 speciale obstet privilegium, iurisdictioni subsunt et vigi-
 lantiae Ordinarii loci» (can. 690, § 1); et: «Fideles... ca-
 veant ab associationibus... quae studeant sese a legitima
 Ecclesiae vigilantia subducere» (can. 684). Mente quoque
 recogitet sollemnia Pii XII verba: «Praeter Apostolorum
 legitimos successores, scilicet Romanum Pontificem pro
 universa Ecclesia, Episcopos vero pro fidelibus suis curis
 commissis, alii magistri iure divino in Ecclesia Christi
 non habentur; at tum ipsi, tum imprimis Supremus in
 Ecclesia Magister atque Christi in terris Vicarius, alios
 arcessere possunt suos in magistri munere socios... At
 omnes hi laici sint et maneant oportet sub auctoritate,
 ductu atque vigilantia eorum, qui divina institutione ma-
 gistri in Ecclesia Christi statuti sunt. Nullum est enim
 in Ecclesia, in rebus ad salutem animarum spectantibus,
 magisterium quod huic potestati ac vigilantiae subduc-
 tum sit» x. In Ecclesiae denique gubernio, etsi laici quas-
 dam obtinere valeant functiones ut consulentes vel exse-
 cutivi—v. gr. in tribunalibus ecclesiasticis, in paroeciis,
 in directione associationum atque operum—, tamen «soli
 clerici possunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis
 ecclesiasticae et beneficia ac pensiones ecclesiasticas ob-
 tinere» (can. 118).

Quoad Godefridi optatum de laicis ad Cardinalatum 268
 assumendis, si attendamus quidem ad ius conditum, obs-
 tat can. 232, § 1; nec aliud oportet expectemus a iure
 condendo, cum Ioannes XXIII, f. r., statuerit (15 aprilis
 1962) cunctos Cardinales dignitate episcopali ornare⁵. De

1 Pius XU, alloc, d. 31 mali 1954; AAS, 46 (1954), pp. 314, 316.

2 AAS, 54 (1962), p. 256 ss.

reliquo, si Cardinales manerent laici, nulla foret eis iurisdictio, utpote alligata clericatui (can. 118).

A l i i c a s u s .

269 C. II.—Tristatur Abilius quasi munus laicorum in Ecclesia reducatur, ex praedictis, infra debitos terminos: laici enim constituerent elementum mere passivum.

Sol.—Omnia membra Ecclesiae vocata sunt ad collaborandum aedificationi et perfectioni Corporis Christi Mystici; et quoniam fideles gaudent libertate, non sunt in manibus Hierarchiae instrumentum mortuum, instar baculi (31). Hoc igitur sensu debent esse activi, coopérantes scilicet Hierarchiae in multiformi huius apostolatu, maxime cum agitur de instillando Christiano spiritu in vitam familiarem, sociale, oeconomica et politicam¹. Ipsamet mundi consecratio remanet, quoad essentiam, opus laicorum, quippe qui intimius permiscetur rebus oeconomicis et civicis, gubernio atque legum conditorum coetibus, immo et operariis, facilius eorum opera in sinum Ecclesiae reducendis

¹ «Ce serait méconnaître la nature réelle de l'Eglise et son caractère social que de distinguer en elle un élément purement actif, les autorités ecclésiastiques, et d'autre part, un élément purement passif, les laïcs. Tous les membres de l'Eglise, comme Nous l'avons dit Nous-même dans l'Encyclique *Mystici Corporis Christi*, sont appelés à collaborer à l'édification et au perfectionnement du Corps mystique du Christ. Tous sont des personnes libres et doivent donc être actifs... Aujourd'hui plus que jamais, ils doivent prêter cette collaboration avec d'autant plus de ferveur pour l'édification du Corps de Christ, dans toutes les formes d'apostolat, en particulier quand il s'agit de faire pénétrer l'esprit chrétien dans toute la vie familiale, sociale, économique et politique» (Pius XH. alloc. 5 oct. 1957; AAS. 49 [1957], p. 92* s.).

³ «La *consecratio mundi* est, pour l'essentiel, l'oeuvre des laïcs eux-mêmes. d'hommes qui sont mêlés intimement à la vie économique et social, participent au gouvernement et aux assemblés législatives. De même les cellules catholiques, qui doivent se créer parmi les travailleurs, dans chaque usine et dans chaque milieu de travail, pour ramener à

C. *III.*—Crispinus magno fervore incumbit theologiae laicae seu laicali, quam distinguit et quodammodo opponit theologiae traditae in Seminariis et ecclesiasticis Facultatibus, provocans tum ad charismata de quibus sermo fit in epistolis paulinis tum ad historiam quae tot nomina laicorum affert huius disciplinae verbo et litteris professorum interno cuique impulsu et ideo sine ulla ab episcopis missione. Hinc plures ex amicis commoventur, praecipue quod non satis distinguant inter theologiam laicam seu laicalem et theologiam sive laicatus sive pro laicis, sive tradita a laicis.

Sol.—Theologia laicatus agit de munere laicorum in Ecclesia; theologia pro laicis est theologia ad institutionem atque captum laicorum; theologia tradita a laicis est theologia quam doceret laicus de mandato auctoritatis ecclesiasticae. Contra, theologia laica seu laicalis est theologia quam laicus facit independenter ab auctoritate, ductu et vigilantia Ecclesiae, quasi laicis competeret in Ecclesia theologia propria, quam agerent—prouti profanam agerent scientiam—extra regulam fidei, Ecclesiae magisterium. Iure igitur Crispini amici commoti sunt; missio namque docendi fidei atque morum disciplinas commissa fuit a Christo suis apostolis horumque successoribus; ceteri omnes, quantumcumque ingenio atque scientia eximii, munus docendi habent dumtaxat si vocantur a pastoribus Ecclesiae. De reliquo, quoniam Deus secum pugnare nequit, nefas est admittere privatam dogmatum explanationem aliam ab ea quam Ecclesia tradit sollemni aut ordinario magisterio; «immo ipsa sublectionis negatio evincens exhibet argumentum et indicium: laicos ita loquentes et agentes non duci Spiritu Dei et Christi»

l'Eglise ceux qui en sont séparés, ne peuvent être constitués que par les travailleurs eux-mêmes» (Id., lb., p. 927).

J Pius XII, alloc. 31 mail 1954; AAS, 46 (1954), p. 317.

271 C. IV.—Theodericus, qui magno zelo ducitur salutis animarum, contendit omnes prorsus fideles, laicos pariter atque clericos, vocatos esse divinitus ad apostolatam.

Sol.—Recte quidem Theodericus si sumit apostolatam lato sensu; at si agitur apostolatus stricte sumptus', hic indiget mandato Hierarchiae, non aliter ac alias diximus (74 ss.) vocationem Dei ad sacerdotium complendam esse ecclesiastica vocatione.

272 C. V.—Birillus multum angitur quod contingat nonnullos laicos nactos prophetica missionem, quam Ecclesiae praelati non agnoscunt.

Sol.—Birillus serio cogitet quam facilis hac in re sit hallucinatio: saepe namque aestimatur inspiratio divina ubi personalis aspiratio agitur. Ipse D. Thomas, loquens de instinctu prophetico: «Ad ea quae (propheta) cognoscit per instinctum, aliquando sic se habet ut non plene discernere possit utrum hoc cogitaverit aliquo divino instinctu, vel per spiritum proprium. Non autem omnia quae cognoscimus divino instinctu, sub certitudine prophetica nobis manifestantur: talis enim instinctus et quidam imperfectum in genere prophetiae» 2. Exemplum classicum de propheta Nathan qui primum ad David responsum retractare debuit (2 Reg. 7, 2 ss.).

273 C. VI.—Quid autem, Birillus obicit, si laicus sub lumine prophetico «maximam certitudinem habet et pro certo

' «Nous élaborons ici le concept d'apostolat des laïcs au sens strict...: il consiste en la prise en charge par des laïcs de tâches qui découlent de la mission confiée par le Christ à son Eglise. Nous avons vu que cet apostolat reste toujours apostolat de laïcs, et ne devient pas *apostolat hiérarchique*, même quand il s'exerce par mandat de la Hiérarchie. Il s'ensuit qu'il est préférable de désigner l'apostolat de la prière et de l'exemple personnel comme apostolat au sens plus large ou impropre du mot» (Plus XII, alloc, d. 5 oct. 1957; AAS. 49 [1957], p. 928).

» S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 171, 5.

habet quod haec sibi sunt divinitus revelata», ut D. Thomas 1 asserit?

Sol.—Etiam in his adiunctis oportet subsit iudicio Hierarchiae, cuius est «probare spiritus si ex Deo sint» (I Ioa. 4, 1). Ideo Apostolus: «Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt» (I Cor. 14, 32); ad quae quidem verba scite Angelicus: «Si aliquis dicat: O Apostole: ego non possum tacere..., Apostolus hoc removet cum dicit: Et Spiritus prophetarum, etc. Quasi dicat: Immo bene potest tacere... non quidem quantum ad cognitionem..., sed Spiritus prophetarum sunt subiecti prophetis quantum ad pronuntiationem; quia scilicet in eorum potestate est pronuntiare ea quae revelantur eis quando volunt, et non pronuntiare. Et sic nihil valet excusatio, quia non cogite Spiritus quin tacere possis» 2.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedat: Catholicus efformans syndicatus mixtos vel neutros (II, 107 ss.).

PROFESSIONIS ELECTIO

Doctrina.

Labor, in genere, omnes obligat qui sine illo *a)* aut 274 non haberent licite necessaria ad conservationem sui et familiae, *b)* aut non vitarent otium, unde tot mala pululant, *c)* aut carnem non subicerent spiritui, *d)* aut Insufficienter providerent alieno bono, *e)* aut deficerent in impletione muneris suscepti. Ex primis tribus capitibus labor ordinatur in commodum laborantis: in praesenti siquidem statu plures, nisi laborent, vitam congruam

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 171, 5.

2 Id. in *I Cor.*, cap. 14, lect. 6.

sustentare nequeunt¹ vel otiosam ducerent vitam, animae periculis expositi², vel passiones validas sentirent. At si triplex hic finis valeat a quibusdam sine labore attingi, ne loquamur de laboris ex his capitibus obligatione. Ergo qui divites sunt, qui ab aliis gratiose aluntur, qui otium vitant lectionibus, meditationibus, activitate improductiva, qui passiones vel habent subditas vel ieiunio, studio, etc., subiciunt spiritui, hi ad laborem ob personalem vel familiae commodum non adstringuntur.

Ex postremis autem capitibus labor ordinatur in~utilitatem aliorum, sive particulariter sive communiter. Sunt enim qui vitam suam dicarunt curae pauperum, qui propterea laborare tenentur ut his subveniant; sunt et illi qui ex contractu aut semi-contractu obligationem sibi susceperunt laborandi pro alio, v. gr., pro conductore laboris, locatore operae; tenemur quoque ceteri praecepto caritatis ad vitandum proletariorum facile scandalum, forsitan et iustitiae legalis ad industriam et prosperitatem communem promovendam.

275 Quem normalem quisque laborem exerceat lucrativum, seu cui vacet crebriori activitati quaestuosae, vel quam professionem, ut aiunt, amplectatur unde vitae prospiciat suae pariter ac suorum, relinquatur communiter propriae electioni. Adeo ut ipsi non peccent filiifamilias si professionem eligant, etiam contra parentum voluntatem, conditioni conformem nec animae periculosam;

1 Qui se fingunt impotentes, ut vivant de eleemosynis, peccant contra caritatem—veris pauperibus eleemosynas subtrahentes—et contra iustitiam—dolo atque fraude decipientes eos a quibus accipiunt alimenta—et peccant mendacio. Qui se reddunt Impotentes ad laborandum—eaque intentione ut sine labore obtineant necessaria—peccant quidem, licet non mendacio, mutilatione sui.

2 Ita apparet in regionibus feracioribus, ubi incolae miserrima conditione versantur. Quin et alii qui vitam fere integram ducunt in occupationibus mere voluptariis foedari solent vitiis. Ex hoc etiam capite improbanda praxis illorum qui ludo aut loteria sibi procurant necessaria ad vitam: hic etenim modus nimis facilis et ideo favet otio.

ubi casum excipias quo, nisi filius professionem v. gr. patris sequatur, huic nequeat subvenire indigenti—immo peccant communitus parente, qui filium cogunt ad professionem suscipiendam eius inclinationi contrariam, nam filio vitam totam toediosam reddunt.

C a s u s p r i m u s .

Cum iam diu in nonnullis nationibus studia peragan- 276
tur de significanda vel imponenda singulis civibus professione uniuscuiusque capacitati atque dotibus accomodata, nonnulli catholici qui huic quaestioni student inter se haud conveniunt de morali iudicio ferendo circa huiusmodi Status interventum quo civium libertas non-nihil coarctatur.

Quaeritur igitur:

- 1) Quae sint principia quibus civilis auctoritatis opera regi debeat.
- 2) Quid ad casum..

Solutio

Ad Ium.—Primum principium est: Civitas non se 277
substituatur civibus. Quapropter «quae a singularibus hominibus proprio Marte et propria industria possunt per-
fici, nefas est eisdem eripere et communitati demandare» Quoniam autem diversorum hominum ita sunt inclinationes natura temperatae ut unus hoc alter aliud officium veluti sponte eligat, civitati non est timendum ne desit aliquis pro singulis officiis a. Si quaedam officia

1 Pius XI, enc. *Quadragesimo Anno*\ AAS, 23 (1931), p. 203.

2 Iam D. Thomas invocavit (*Summa Theol.*, II-II, 189, 7, 3m) verba S. Hieronymi contra Vigilantium: «Quamvis a te linguae viperae morsus

communitati necessaria vacantia remanerent, haec nobilitet civitas honore et praemio quibus homines stimulantur et inducuntur.

Alterum principium est: Civitas non se substituat familiae. «Quae a minoribus et inferioribus communitatibus effici praestarique possunt, ea ad maiorem et altiorem societatem avocare iniuria est simulque grave damnum ac recti ordinis perturbatio» \ Porro filios consulere de mundanae professionis electione officium est parentum, quibus filiorum incumbit providentia, qui et prolis inclinationes et facultates melius ceteris norunt.

278 Tertium principium est: Civitas tueatur, adiuvet et promoveat spontaneam operam privatorum; tueatur filiorum ius—si parentum opera desit—, non se in familiae locum substituens sed necessitati consulens atque subsidiis providens²; adiuvet cives in exercitio propriae energiae, scholas artium ipsa aperiat quibus vel ipsi pauperes valeant educationem superiorem accipere³; relinquat attamen familiis ut prolem educandam mittant quo velint⁴, et illarum scholarum perfectiora opera exponat multitudini ut ab hac cognoscantur et exoptentur imitanda.

Quartum principium, denique: Civitas potius quam perfectionem operis curet perfectionem operantis. Homo

saevisimos patiantur (scilicet religiosi), de quibus argumentaris et dicis: Si omnes se clausierint et fuerint in solitudine, quis celebrabit ecclesias? Quis saeculares homines lucrifaciet? Quis peccantes ad virtutes poterit exhortari? Hoc enim modo, si omnes tecum fatui sint, sapiens esse quis poterit? Et virginitas non erit approbanda; si enim virgines omnes fuerint et nuptiae non erunt, interibit genus humanum. Rara est virtus, nec a pluribus appetitur».

1 Pius XI, l. c.; AAS. ibidem.

2 Id., enc. *Divini illius Magistri*; AAS, 22 (1930), p. 63.

3 «Favorisca una formazione superiore per i figli delle classi operate particolarmente dotati di intelligenza e di buon volere» (Pius XII, Radiomessaggio natalizio, 1942; AAS, 35 [1943], p. 20).

* Pius XI, l. c., p. 64.

non est res utilis; est persona. In humanis bonis, utile non est summum. Praeter valorem hominis oeconomicum, potiores sunt valores; in his domestica¹ atque Christiana conversatio, munus sacerdotale et vita religiosa.

Ad Illum.—Optimo sane consilio in pluribus nationibus 279 studia nostris diebus peraguntur de *significanda* singulis civibus professione uniuscuiusque capacitati atque dotibus accommodata. Selecti enim magistri poterunt prae parentibus professionem hanc significare. In hoc igitur horum complent sive perficiunt providentiam. Melius etiam quam iuniores filii poterunt horum capacitatem mensurare. Dum sistant in significanda cuique aptiore professione, civium libertatem interventus Status non coarctat.

Coarctat attamen si pergit usque ad professionem *imponendam*. Nam praeter casum extremae vel gravissimae necessitatis boni communis, uti v. gr., tempore belli, Status auctoritate caret qua exigit a suis civibus maxima his possibilia emolumenta. Immo vel in specialibus adiunctis quibus bonum commune egeat toto civium conatu, potius adhortationibus quam praeceptis debent cives impelli; hortationibus autem praemium adiciat, copiosum puta salarium sive retributionem et tunc, dum servat integra civium iura, una atque libertatem, illum abundantiore fructum colliget quem appetit.

¹ «Curi che i luoghi di lavoro e le abitazioni non siano così separati, da rendere il capo di famiglia e l'educatore dei figli quasi estraneo alla propria casa» (Pius XII. 1. c.).

² «Sostenga... il diritto alla libera scelta dello stato, quindi anche dello stato sacerdotale e religioso» (Id. ib., p. 19)

Alii casus.

280 C. II.—Zoticus negat singulis libertatem in professionis electione quod quilibet teneatur usque ad summum facultates porrigere quibus gaudet; debet igitur facere quantum potest, nec id tantum quod velit.

Sol.—Falso nititur Zoticus supposito, nam et usus singularium facultatum saepius non urget: non tenentur vacare metaphysicae omnes qui ingenio pollent, inire matrimonium quotquot sunt capaces generandi. Expresse D. Thomas: «Ex divina providentia dantur homini ea quae sunt toti speciei necessaria: nec tamen oportet quod quilibet homo quolibet illorum utatur. Data est enim homini industria aedificandi, virtus ad pugnandum: nec tamen oportet quod omnes sint aedificatores aut milites. Similiter, licet homini divinitus sint provisa virtus generativa et ea quae ad actum eius ordinantur, non tamen oportet quod quilibet actui generationis intendat» \

281 C. III.—Macrobius docet omnes obtemperare debere vocationi divinae, hanc autem ibi comperit ubi maiores apparent facultas et oropensio.

Sol.—Omnes sortiti sumus a natura multiformes potentias ad laborem, quarum aliquam magis evolutam, validiorem, personae atque vitae condicionibus magis accommodam. Et adest quidem notabilis utilitas in eo quod quis professionem eligat et sequatur quae viribus atque inclinationi maxime respondet: praeterquam enim maior exinde fructus, delectatio in labore potior. Quin propterea sermo sit habendus de determinata vocatione divina cui obtemperandum sit. Studio enim et exercitio, quem ad modum complere quos natura inchoative dedit, possu-

1 S. Thomas, 3 *Contra Gentiles*, 136

mus et acquirere habitus quos natura negavit!; habitus autem acquisitus, sicut et innatus, reddit actum seu opus promptum atque facile, quinimmo et delectabile.

C. IV.—Contendit Olympius posse Statum determinare 282 ut omnes omnino cives labori vacent utilitario seu productivo; ideoque determinare cuilibet professionem sectandam.

Sol.—Errat Olympius si de labore loquitur utilitario seu productivo laboranti: potest hic etenim non indigere fructu sui laboris, v. gr., si habet aliunde unde vitam sustentare possit. Errat quoque si de labore loquitur utilitario seu productivo communitati, tum quod communitas non semper indiget omnium civium labore productivo, tum quod labor qui vocatur improductivus utilissimus est ad culturam et privatam eius qui ipsi vacat et communem insuper ceteris: bonum enim commune, cuius cura imminet Statui, non dimanat ex labore productivo sicut e fonte unico, cum et scientia et artes liberales communitati inserviant.

C. V.—Dorotheus propterea Statui tribuit ius definiendi 283 civibus professionem quod timet ne alias cives eligant professiones vel faciliores vel honorabiliores, ceteris praetermissis etsi communi bono necessariis.

Sol.—Timet profecto Dorotheus ubi non est timendum. Diversorum etenim hominum multifariae inclinationes sunt, ita ut unus hoc, alter officium illud ultro-neus prorsus eligat. Stimulet Status cives honore et praemio ad suscipienda officia humiliora atque difficiliora; candidati affluent.

C. VI.—Leontius, sedecim annos natus, abiit in vicini- 284 nam civitatem ut lucrosam artem addiceret, invito pa-

i S. Thomas, *Summa Theol.*, I-H, 51, 1 s.

tre bibulo qui eum piston inservire iubebat ut statim aliquod stipendium lucraretur. An licite?

Sol.— Respondet Genicot: «Non videtur peccare Leontius vicinam in civitatem tendendo ut artem lucrosam addiscat qua melius sibi in reliqua vita prospiciat, dum pater, unice praesenti lucro intentus, futuram filii utilitatem negligit. Illud enim motivum in se rationabile est, neque apparet cur filius oboedire teneatur patri in iis quae magnum ipsi detrimentum afferent in reliquam vitam universam. Excipe tamen si filius labore suo patri inopi subvenire posset: quod in casu vix fieri potest, cum agatur de bibulo qui pecuniam a filio lucranda in tabernis sit consumpturus, filius autem, si suo labore aliorumve subsidio in civitate alitur, aequè proderit patri ac si in domo paterna victum pro stipendio reciperet. Neque obstat lex civilis, forte in regione vicens, quae patri tribuat ius prohibendi ne filius nondum maiorennis vel emancipatus domum paternam deserat: ut enim urgeat obligatio moralis inde oritura, necessarium videtur ut pater ostenderit se velle legali iure uti, seu ad magistratus recurrat, seu recursum huius modi minetur» \

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Filius adiuvans patrem in industria et se occulte compensans pro cooperatione (III, 170 ss.); Num laborans extra domum teneatur totam mercedem tradere parentibus (III, 175); Filia se occulte compensans pro labore domestico dum frater, nedum pecuniis vacet augendis, eas contra dissipat (III, 176).

1 Genicot, *Casus Conse.*, 122, ed. 1928.

III. IUS AD LABOREM

Doctrina.

Non est quaestio de iure laborandi pro mercede sive pecunia: ius huiusmodi nemo ambigit, et ideo quicumque laborare pro mercede velit ius habet ne a labore impediatur quandiu non laedat ceterorum iura; ius propterea est illi quaerendi, iustis mediis, occupationem lucrativam penes alios—homini namque officium est, mediis quidem ordinariis, vitae propriae et suorum prospiciendi; ergo et obtinendi, pro posse, media ista; porro maior pars hominum haec media licite obtinere nequit absque labore; hinc D. Thomas: «Ea necessitate aliquis tenetur ad manus operandum, qua tenetur ad manducandum»¹.

Quaestio vertitur potius de iure ad laborem, de iure scilicet quod esset omni homini, qui labore lucrativo careat unde vitae providere possit, ut exigat, si laborare velit, lucrativum laborem huiusmodi a Statu sive a civibus qui laborem remunerare pecunia valent—divitibus propterea.

Ius huiusmodi defendunt socialistae. Negant vero catholici, quod huic iuri responderet officium iustitiae ex parte sive Status sive civium divitum; sed hoc officium Statui non incumbit—cuius quidem est habere curam boni communis, non vero privati boni singulorum civium—, nec incumbit civibus divitibus—quibus quandiu

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 187, 3.—«Reapse manere in vita, commune singulis officium est, cui scelus est deesse. Hinc ius reperendarum rerum, quibus vita sustentatur, necessario nascitur; quarum rerum facultatem infimo cuique non nisi quaesita labore merces suppeditat» (Leo XIII, enc. *Rerum Novarum*; Denz. 1938c).

agnoscamus proprietatis ius, oportet et agnoscamus facultatem disponendi de bonis sive divitiis suis \

Sed Status tenetur legibus providere, ne commune bonum periclitetur, ne maior pars civium careat labore lucrativo necessario ad vitam; ad procurandum igitur laborem huiusmodi maiori civium parti. Latis in hunc finem legibus civilibus, subditi tenentur ad plenam ipsarum observantiam; quapropter, si ad praebendum laborem obligantur, ut laborem praebent quem pecunia remunerent

287 Abstractione tamen ab his legibus, tenentur ex caritate cives divites subvenire civibus indigentibus, ita saltem ut aptis ad laborem offerant occasionem laborandi ideoque lucrandi necessaria vitae (II, 329); quin teneantur, citra extremam necessitatem, huic determinato indigenti subvenire vel huic operario determinato laborem lucrativum offerre (II, 319). Id nisi sponte divites faciant, Status potest contributionem eis imponere destinata pauperibus; ex tunc quod erat debitum caritatis erit debitum ex iustitia legali.

1 «Quant au *droit au travail* Il consiste dans le prétendu droit de l'individu sans travail de s'adresser à l'Etat pour réclamer de lui une occupation rémunératrice et un salaire. Les pouvoirs publics ont le devoir de s'employer pour prévenir par tous les moyens qui sont en leur pouvoir le chômage et ses suites. Il ne s'ensuit pas que tout individu sans travail ait droit à un emploi» (Code *Social* de Malines, n. 70. ed. Spes, 1927).

2 «Il dovere e il diritto a organizzare il lavoro del popolo appartengono innanzi tutto agli Immediati interessati!; datori di lavoro e operai. Che se poi essi non adempiano il loro compito o ciò non possano fare per speciali straordinarie contingenze, allora rientra nell' ufficio dello Stato l'intervenire nel campo e nella divisione e nella distribuzione del lavoro, secondo la forma e la misura che richiede il bene commune rettamente inteso» (Pins XII. nuntius radiophonicus, 1 iunil 1941; AAS, 33 [1941], p. 201).

Casus primus.

Fulgentio est paroecia concredita eminens copia po- 288
pulationis ac tenuitate divitiarum. Pauci divites sunt pro-
prietarii terrarum, qui viros robustos minimo salario ad
duriores labores addicunt, debiliores ac senescentes vero
non assumunt.

Res pacifico cursu processerunt usque ad abhinc tres
annos, quando propagandista politicarum partium pau-
latim proselytas plurimus nactus est inter fideles, pro-
clamans futuram societatem marxisticam non tantum
verbis sed et re agnoscere ius omnium hominum ad la-
borem et congruum salarium, quod a societate capitalis-
tica, conniventibus sacerdotibus, usque nunc fuit frus-
tratum.

His moti, operarii non amplius operam suam navant
propriariis terrarum, nisi omnibus detur possibilitas
laboris et quidem congruo ac sufficienti salario.

Inde condiciones populationis fiunt miserrimae in or-
dine materiali et spirituali.

Quapropter Fulgentius petit a theologo num parochis
competant partes circa modum quo ius ad laborem est ad
praxim usque deducendum.

Solutio

Parochus, absque dubio, debet tradere fidelibus doctri- 289
nam Ecclesiae; sed Ecclesiae ius est et officium auctori-
tative loquendi de quaestionibus socialibus¹; ergo paro-

¹ «Alia Chiesa compete non solo il diritto, ma ancora il dovere di
pronunziare una parola autorevole suile questioni sociali» (Pius XII.
l. c., p. 196).—«Ecclesiae enim non tantum ius et officium est, tueri prin-
cipia ad religionem et ad morum integritatem spectantia, sed etiam pro

chus quae de quaestionibus socialibus Ecclesia docet debet et tradere fidelibus 1.

Parochus ergo praedicet divitibus naturam privatae proprietatis atque onera (cf. 297 ss.), eos urgens ut adimpleant praeceptum, saltem caritatis, dandi operariis laborandi occasionem et laboris mercedem congruam; praedicet operariis necessitatem atque dignitatem laboris, eos urgens ut obligationibus initi contractus satisfaciant; explicet omnibus principia iustitiae et caritatis, quibus nititur bonum commune et quibus tutanda est ipsa vita honesta operariorum—quaedam enim sufficientia est necessaria ad vitam virtuosam².

290 Caveat attamen parochus, nisi in quaestionibus socialibus peculiari peritia gaudeat, ab applicandis doctrinae catholicae principiis ad casus singulos quot occurrunt: res enim oeconomicae non spectant ad parochum³, et agitur de applicationibus quae cognitionem amplam exigunt, uti plurimum, rei tum socialis tum oeconomicae,

sua auctoritate sententiam suam pronuntiare, cum de principiis iisdem agitur ad effectum adducendis» (Ioannes XXIII, enc. *Mater et Magistra*; AAS. 53 [1961], p. 457).

1 «De re sociali doctrinam quam Ecclesia tradit, fidei animo (sacerdotes) amplectantur, eandemque ceteris impertiant ac pro viribus in usum deducant» (Pius XII, enc. *Menti Nostrae*; AAS, 42 [1950], p. 696).

5 «Ad bonam unius hominis vitam duo requiruntur, unum principale, quod est operatio secundum virtutem...; aliud vero secundarium et quasi instrumentale, scilicet corporalium bonorum sufficientia, quorum usus est necessarius ad actum virtutis» (S. Thomas, op. *De regimine principum*, seu *De regno*, I, 15).—«Moderatas divitias possidentes possunt agere quae oportet: a quo impediuntur tam illi qui superabundant in divitiis propter nimiam sollicitudinem vel propter elationem, quam etiam illi qui in talibus deficiunt, quos oportet nimis sollicitari circa victum quaerendum» (Id., in 10 *Ethic.*, lect. 13; ed. Pirotta, n. 2130).

* «Ea proponant (sacerdotes) doctrinae principia, quae, in variis societatis classibus, ad ius domini, ad divitias, ad iustitiam caritatemque pertineant; eademque principia quo aptiore modo efficienda sint suo exemplo edoceant. Haec tamen doctrinae praecepta laici homines ad effectum deducenda curent. Quodsi ad rem pares non sint, eos sacrorum administratorum quam aptissime instruat atque conformet» (Pius XII, l. c., p. 697).

Si tamen ipse parochus in materia quae agitur necessaria competentia gaudeat, ita se gerat ut constet apud omnes se non agere tamquam ministrum sacrum, sed tamquam in re sociali et oeconomica cumulate versatum.

In utroque casu parochus conetur ut idoneiores inter 291 laicos studeant doctrinae sociali Ecclesiae eamque ad effectum deducendam curent per applicationem ad rerum et locorum circumstantias

Sed ipse praedicet marxism! ac socialism! damna et errores; in praeceptis tum caritatis tum legalis iustitiae opportune et importune insistat; ostendat Ecclesiam¹ atque sacerdotes³ non favisse capitalistis, sed non posse praeceptorum divinorum observantiam ab his urgere validis illis mediis quibus urget Status legum civilium impletionem, multa, puta, vel carcere (II, 315).

Alii casus.

C. II.—Postulat Ethbinus, libros conscribendi magna 292 ditatus copia, ut Status, cui in animo est ne operariis manualibus labor productivus deficiat, ipsi quoque consulat, obligans domum aliquam editricem ut eius scripta pecunia emat committenda praelo.

1 «Primi et proximi opificum apostoli, opifices sint oportet» (Pius XI. enc. *Quadragesimo anno*; AAS. 23 [1931], p. 226).

2 «Ecclesia non tantum ingentium opum ac vel ipsius possidendi luris abusus indicavit, quos eadem oeconomica ratio parit ac defendit, sed etiam edocuit divitias ac possessiones ad res labore procreandas conferant oportere, cum universae hominum societatis emolumento, itemque cum humanae libertatis dignitatisque tuitioe et incremento», (Pius XII, l. c., p. 696).

3 «Ipse (sacerdos), ut fraternam hominum necessitudinem praedicat, ut mutua omnibus iustitiae caritatisque evangelicae officia inculcat, ut denique—divitibus ac proletariae plebi affectanda omni ope veri nominis bona quasi digito demonstrans—animos, ob rei oeconomicae divisionem morumque demutationem exulceratos pacare nititur, ita eo adiutricem operam confert, ut civilis Societatis ordinum conflictationes vel componantur feliciter vel saltem mitigentur» (Pius XI. enc. *Ad cath. sacerdot.*; AAS, 28 [1936], p. 7 S.).

Sol.—Ethbinus optimo iure hoc peteret a Statu communista; non enim scriptoris ius est minoris habendum agriculturalum iure, cum non in solo pane vivat homo (Mt. 4, 4). At logice pariter officium incumberet Statui obligandi deinde cives ut libros editos pecunia emant qua satisfacere valeat editor propriae vitae necessitatibus. Quod nimis igitur probat, nihil probat.

293 *C. III.*—Theodotus putat se invenisse argumentum irrefragabile pro iustitiae commutativae officio quo divites tenerentur ut offerant operariis laborem lucrativum. Capitale, inquit, quo divites potiuntur, est fructus laboris ab operariis iniuste ablati; ergo tenentur hunc fructum restituere et ideo laborem offerre quem remunerent.

Sol.—Capitale, imprimis, non est fructus unius laboris ab operariis praestiti; valor enim commutativus seu pretium rerum non semper aequivalet valori rerum productivo, sive laboris pretio, cum ille desumatur tum ex rerum qualitate, quantitate vel raritate, tum quoque ex diligentia domini seu patroni; nec ideo quidquid lucratur hic ob utriusque valoris differentiam potest vocari furtum in operarios. Sed et expensae quas fecit dominus pro officina extruenda, machinis emendis, etc., compensatione pecuniaria dignae sunt; sortis quoque periculum cui pecuniam commisit est lucro repensandum; denique ipsa industriae provida directio potest ac debet pecuniaro retribui beneficio \

1 «Hic (rectus) ordo in eo stat, ut suum quaeque res habeat dominum. Hinc fit, ut nisi quis in re sua laborem exercent, cum opera alterius tum res alterius consociari debeant: neutra enim sine altera quidquam efficit... Quocirca falsum prorsus est sive uni rei sive uni operae quidquid ex earundem collata efficientia obtentum est, adscribere; iniustumque omnino, alterutrum, alterius efficacitate negata, quidquid effectum est sibi arrogare» (Pius XI. enc. *Quadragesimo anno*, l. c., p. 195).

Sed dato, nec concesso, capitale nihil aliud esse quam pars fructus productivi operariis iniuria defraudata, argumentum illud concluderet capitale restituendum esse operariis; sed operariis quibus fuit defraudatum eorumve filiis, non operariis ceteris; et restituendum illis esse gratis seu sine ulteriori onere, non autem ut laboris mercedem—labor enim qui remunerandus nunc offertur habet valorem alium a labore pristino pro quo fit restitutio; est labor duplex pro salario unico.

C. IV.—Andeolus ius ad laborem petit ex alio capite. 294
 Interest (ait) Status et interest divitum maxima vitare mala quae ex non-occupatione consequuntur immediate, v. gr., furta, seditiones, odia, sive mediate, v. gr., infirmitates ob alimentorum inopiam et classis operariae ad communismum transmigratio.

Sol.—Interest quidem divitum et Status praecipue vitare socialia mala, ortum haec habeant inde quod volentes laborare non obtinent laborem, aut inde quod laborare nequeunt, saltem nolunt. Quin propterea agnoscendum sit illis ius ad laborem lucrativum prout nec ceteris ius ad subventionem gratuitam. Agitur hic de officiis caritatis, non iustitiae; aut de officiis iustitiae socialis, non commutativae. Quoniam non agitur ius singulorum civium indigentium, labore aut pecunia, erga singulos cives divites vel erga Statum; sed agitur de obligatione sive civium divitum sive Status promovendi commune bonum et ideo vitandi illa pericula quae ortum ducunt ex inopia rerum necessariarum vitae, inopia haec contingat laborare volentibus vel laborare nolentibus vel incapacibus laborandi.

C. V.—Erastus terras nonnullas possidet feracissimas. 295
 At postquam Status tabellas edidit quibus determinatur et salarium operariorum et reium pretium, se imparem

invenit qui tenens illas tabellas aliquid lucri faciat, cum pretium laboris adaequet pretium rerum. Ideo alta voce protestatur contra Statum quod se nimis ingerat, quapropter et iniuste.

Sol.—Si res ita se habent prout Erastus clamitat, Status ingerentia profecto est nimia ac periculo subest fontes exsiccandi divitiarum; si enim patroni prohibeantur ab omni lucro, nullum his stimulum erit ut pecunias vel terras suas committant productioni. Sed principium huiusmodi salvari potest etsi in quibusdam particulis adiunctis pretium laboris aequet rerum pretium, quandiu tamen in ceteris seu communiter valor consummatus permittatur altior consumptive valore; ideo non statim illae tabellae Status habendae sunt iniustae.

296 *C. VI.*—Apronianus contendit Statum teneri distributivae iustitiae officio ut omnibus quotquot volunt labore lucrari necessaria vitae tribuat ipse lucrativum laborem: iustitiae enim distributivae est non modo communia dispensare onera verum et communia beneficia.

Sol.—Beneficia quae dispensanda Apronianus contendit oportet sint communia; ergo si Status pecuniam habet qua compenset laborem illorum civium, tenebitur eis laborem lucrativum offerre. At Status non semper tanta pecuniarum abundat copia. Hanc obtinebit exigens a divitibus tributa abundantiora? Sed tunc et divites privantur beneficiis communibus et periculum adest ne immanitate tributorum ipsi privati census exhauriantur.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedat: Praebens laborem indigentibus num satis eleemosynae praecepto faciat (ii, 329).

IV. FUNCTIO SOCIALIS PROPRIETATIS

Doctrina.

Doctrina catholica venit media inter socialisticam 297
—qui negat proprietati functionem individualement—et individualisticam—quae ei denegat functionem sociale.

Ideo contra socialismum. admittit proprietatem privatam uti iure gentium necessariam: nam et maior cuique sollicitudo de bono proprio—contra, dum agitur commune bonum, unus relinquit alteri laborem, ut patet in multitudine ministrorum—, magis etiam ordinata productio—alias ac cum pluribus imminet cura eusdem rei, quorum uni videtur sic et alii aliter esse agendum—, potior denique pax in ipsa fructuum distributione—quisque re sua contentus est, at quando distributio fit ex communibus iurgia sunt frequentissima \

Simul tamen, contra individualismum, propugnat proprietarium sic uti debere bonis suis ut postquam sibi et familiae rationabiliter satisfecerit, superflua cedant in utilitatem ceterorum: quoniam externa bona fuerunt data divinitus in utilitatem omnium hominum, et ideo si cui conceditur proprietatis ius, id non fit ut illa ceteris deficient, sed potius ut vel ceteris quoque abundant; quapropter divites sunt quasi patres familias, qui administrant quidem familiae bona non pro seipsis tantum sed

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II. 66. 2.—«Ac praeter iniustitiam. nimis etiam apparet qualis esset (in Socialismo) omnium ordinum commutatio perturbatioque, quam dura et odiosa servitus civium consecutura. Aditus ad invidentiam mutuum, ad obrectationes et discordias patefieret; ademptis ingenio singulorum sollertiaeque stimulis, ipsi divitiarum fontes necessario exarescerent; eaque, quam fingunt cogitatione, aequabilitas, aliud revera non esset nisi omnium hominum aequae misera atque ignobilis, nullo discrimine, condicio» (Leo XIII. enc. *Rerum Novarum*; *Acta* eiusdem, XI, p. 106 s., ed. 1892).

in maius totius familiae commodum. Bona igitur rationabiliter superflua debentur ceteris x.

298 Sunt autem rationabiliter superflua quibus quis irrationabiliter uteretur in proprium vel familiae beneficium; igitur: a) quae sunt vel ipsi diviti vel familiae impeditiva melioris boni, v. gr., virtutis—ob sollicitudinem, avaritiam, etc.—; b) quae debentur aliis, puta indigentibus (cf. n, 316 ss.).

Si divites quae mandare deberent productioni, ut res abundant, propria sponte non mandent, Status interveniat, supprimens utputa latifundia; si divites quae egenis gratis, operariis in laboris mercedem distribuere debent, ultronei non distribuant, Status interveniat, imponens contributionem pro pauperibus et congruum salarium ad operarios; si divites coniciant in discrimen sociale pacem, Status interveniat, v. gr. impediens despoticum potentatum oeconomicum, concurrentium, etc., fovens concordiam inter capitale atque laborem, etc.a.

Quod si fingamus nullum omnino hominem versari in indigentia, adhuc tunc qui divitiis abundant tenerentur eas communicare titulo amicitiae, liberalitatis, mag-

1 «Quicumque maiorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc causam accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque, velut minister providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum» (Leo XIII, l. c., p. 114).

2 «Duplex imprimis et rei seu dominii et operae seu laboris ratio, id est individualis et socialis, aequae et rite pensanda est, ut et individualism! et collectivism! scopuli vitentur. Mutuae utrorumque relationes ad strictissimae iustitiae leges, quam commutativam vocant, exigi debent, Christiana caritate adminiculante. Liberum certamen certis ac debitis limitibus saeptum, magis etiam oeconomicus potentatus publicae auctoritati in iis quae ad eius munus spectant, efficaciter subdantur oportet. Ipsa vero populorum publica instituta ad boni communis necessitates seu ad iustitiae socialis normam totam humanam consortionem conformare debent; quo fieri nequit quin etiam gravissima illa vitae socialis pars, quae est res oeconomica, ad rectum et sanum ordinem redeat» (Pius XI, enc. *Quadragesimo anno*, AAS, 23 [1931], p. 212).

nificentiae, etc.; sed cum ageretur ibi debitum morale, non legale, non est cur loquamur de interventu Status \

Casus primus.

Sergius, proprietarius terrarum ac domorum aedifi- 299
cator, fere omnibus concivibus suis laborem providet, viros adhibendo in constructione domorum, mulieres vero in terrarum cultu, de parva mercede conveniens vix sufficienti ad sustentationem laborantium.

Cum autem in loco fabrica industrialis sit introducta, in qua operarii meliorem mercedem percipiunt, cumque editae sint de minima mercede tabellae, Sergius a quacumque activitate aedilitia cessavit terrasque incultas relinquit, his contentus quae sponte producuntur.

Livio parcho, qui conatur eum ut bonum catholicum urgere ad activitatem aedilitiam reprehendendam atque ad terras cultivandas, respondet se ad id nulla lege morali obligari neque posse suam pecuniam exponere sine quaestu, in quo determinando sibi arbitrium reservat.

Quaeritur:

- 1) Quid de ratione agendi Sergii domini
- 2) Num parochus ad ulteriora teneatur in casu.

Solutio

Ad Ium.—Sergius imprimis non debuit feminas pro 300
terrarum cultu adhibere nisi vel usus regionis ita ferat vel ipsae feminae se offerrent libere tali labori.

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 80

2 «Domi potissimum vel in iis, quae domui adjacent, mafesfamilias operam navent suam, in domesticas curas incumbendo. Pessimus vero est abusus et omni conatu auferendus, quod matresfamilias ob patris sa-

Male praeterea egit si salarium quod pro labore tribuit sit revera insufficiens seu infra iustum; nisi vel operarii iam aliunde congruos redditus habeant et, locando opera extra tempus, hos augere studeant, vel feminae habeant aliunde—v. gr. ex labore maritorum—congruos redditus quos conantur augere operas offerendo et libere locando minori pretio, vel viri et feminae, ex caritate assumpti, Sergio superfluum, ex parte saltem, operam praestent, vel moderatam proprii laboris retributionem Sergius alias obtinere nequeat.

Denique, dum ab activitate cessavit aedilitia atque terrarum cultu, Sergius peccat contra iustitiam sociale, saltem contra caritatem erga proximos: supponimus enim fabricam industrialem mox introductam non praebere laborem et honestam mercedem omnibus—alias non est cur parochus conetur eum inducere ad meliora consilia—; ergo plures indigent labore ad vitam sustentandam, praeterquam et indigere possunt vel habitatione vel terrae fructibus.

301 *Ad Illum.*—Parochus debet insuper argumenta Sergii labefactare.

Dum Sergius ergo asserit se nulla morali lege obligari ad activitatem aedilitiam reprehendendam atque ad terras cultivandas, parochus opponat eum teneri abs dubio morali lege, saltem ex naturali functione sociali proprietatis privatae, quae non legitimatur nisi terra atque capitale necessitatibus ceterorum inserviat.

Quando Sergius dicit se non posse pecuniam exponere sine quaestu, parochus reponat pecuniam non ipsi datam in favorem dumtaxat sui sed etiam in commodum alio-

laril tenuitatem extra domesticos parietes quaestuosam artem exercere coguntur, curis officiisque peculiaribus ac praesertim infantium institutione neglectis» (Pius XI, l. c., p. 200).

rum, quapropter et divites teneri ut non semel pecuniam dent omnino gratis, et ideo sine quaestu (295).

Cum Sergius, denique, contendit quaestum e pecunia percipiendum proprio arbitrio relictum, parochus respondeat hoc esse prorsus falsum; tum quoniam nemini licet quaestum quaerere immoderatum, qualis est quaestus laesivus iurium operariorum—qui habent ius ad mercedem sufficientem vitae necessitatibus—; tum quod semel determinata a Statu mercedis minimae tabella, huic standum est, quippe quae praesumitur iusta.

A l i i c a s u s .

C. II.—Polyanus, communista, functionem sociale[m] proprietatis ita exaggerat ut velit possessiones rerum communes; sic enim putat et potio[m] futuram esse hominum amicitiam—cum amicorum sit omnia habere communia—et multa hodierna mala devitanda, uti litigia circa contractus et adulatio pauperum ad divites. 302

Sol.—Ut iam post Aristotelem D. Thomas ¹ animadvertit, communismus ob allatas rationes videtur bonus in superficie atque propterea fit amabilis pluribus. Si quis autem rem attente consideret videbit quod bonorum communitas nec accrescit amicitiam mutuam inter cives nec vitat illa mala quae privatae proprietati adscribuntur. Nam communicatio frequens est discordiarum causa et possidentes in communi multo magis dissident abinvicem quam ii qui separatas possessiones habent—si hae dissensiones hodie paucae sunt, hoc ideo quod possidentes in communi sunt paucissimi—. Litigia, nedum minuantur, in immensum crescent, prout et litigant quotquot simul peregrinantur de expensis factis in cibis et potibus communibus; eo maxime quod qui attendent labori manuum

¹ S. Thomas, in *2 Politic* lect. 4 s.: ed. Spiazzi, n. 197-215.

murmurabunt de intendentibus maioribus negotiis—quasi parum dantibus et multum accipientibus—et adinvenient astucias ad defraudandum eos—vertentes adulationem pauperum ad divites in horum ad illos servitutem.

303 *C. III.*—Agathopus hanc objectionem movet parochus contra communismum praedicanti: Ius proprietatis privatae dicitur ius gentium, ac propterea humanum, ergo potest ab hominibus abrogari legem ferentibus qua omnia fiant communia.

Sol.—Si ius gentium intellegatur, ut plures tenent, complexus conclusionum quae absoluta necessitate procedunt immediate a principiis iuris naturae, tunc habemus naturale ius quod non substat hominum arbitrio. Etiam si concipiatur, ut alii volunt, ut humana determinatio eorum quae ius naturae non determinavit, summa cura distinguendum est inter determinationes hominum plene liberas et determinationes necessarias in data hypothesis. Inde enim quod ius naturae dictet homicidam congrue puniendum, libere pervenerunt quidam legislatores ut homicidae inferrent poenam mortis, sed quoniam et poena perpetui carceris potest esse congrua, illam legem possunt homines abrogare seu nova hac lege tollere. Sed cum ius naturae dictet socialem vitam pacifice ducendam, necessario ducti fuerunt homines ut privatam proprietatem agnoscerent, quod intenta hominis lapsi condicione socialis vita destitueretur pace, quae est tranquillitas ordinis, sic ut quilibet civis libenter occupet locum sibi definitum, vacet officio commissio sibi atque iis quae sibi dantur contentus sit. non ambiens ceterorum locum, vel munus, vel portionem; si enim ex metu haec omnia servat, ut in regionibus contingit in quibus communismus introductus est, non loquamur de tranquillitate

seu stabilitate |; sed nec communis boni praedilectio, qua plures ibidem inardexerunt, potest esse firma, quoad omnes saltem—uti contigit in primitiva Ecclesia—; in statu enim naturae lapsae, maior pars hominum appetit cibum quo satietur ipse, ceteri quamvis inedia pereant, vult iustitiam quae sibi fiat, aegre quantumvis faciat; velox ad repetendam gratitudinem illorum quibus benefecit, est tamen segnis recepto beneficio solvendo.

C. IV.—Cataldus, in scriptis theologorum versatus, 304 putat ex ipso D. Thoma argumentum validum perfacile in defensionem communism!. Bonum, inquit, commune divinius prae privato² cum ergo lex, civilis quoque, intendat homines efficere virtuosos¹, potest civilis legislator suppressere privatam proprietatem in favorem proprietatis communis.

Sol.—Quoniam finis legis, civilis quoque, est homines efficere virtuosos, eos virtuosos esse non supponit; non ergo debet eis imponere servanda quae solis virtuosis possibile servatu veniunt⁴. Porro prae acquisita virtute homo plus curat de propriis quam de communibus (32 n.). Si qui autem e civibus virtutem attigerunt, manebit semper potior numero pars imperfectorum; sed leges dantur communitati, ad condicionem maioris partis communitatis⁵.

¹ «Si vi aut metu fiat concordia, non est pax. Et ideo vulgo dicitur: *Est pax, sed mala voluntas*: quoniam est tunc concordia contra id quod homo magis vellet, ac per hoc restat voluntas ad frangendam pacem, cui consentit, ut perveniat ad id quod magis vellet» (Caietanus, in II-II, 29. 1).

² S. Thomas, in I Ethic., lect. 2, n. 30, ed. Pirotta.

³ Id., Summa Theol., I-II, 92. 1.

Id., ib., q. 96. a. 2.

Id., ib.

305 C. V.—Apellius communistarum factionem corde sequitur quoniam practice qui pecuniam qua pollent divites productioni mandant retineant sibi potiore partem lucri.

Sol.—Abusus privatae proprietatis non aufert ius private possidendi. Adest autem abusus in eo quod divites lucrum sibi immoderatum teneant. Habent equidem ius ut expensas compensent quas fecerunt in extruendis officinis et machinis emendis, ius quoque ut mercedem recipiant pro ipsorum industria et diligentia, ius denique aliquid exigendi pro periculo cui proprium commiserunt capitale. Semel autem ac his iuribus lucrum respondens perceperunt, divites tenentur ut lucrum reliquum cedat in commodum operariorum. Ioannes XXIII, postquam principium nobis notum (293 n.) retulit Pii XI: «Falsum prorsus est sive uni rei sive uni operae quidquid ex earundem collata efficientia obtentum est adscribere; iniustumque omnino, alterutrum, alterius efficacitate negata, quidquid effectum est sibi arrogare» \ adiecit: «Cui quidem iustitiae officio non uno modo, ut rerum usus docet, satis fit. Ceteris missis, hodie magnopere optandum est, ut, rationibus quae magis consentaneae videantur, opifices in partem possessionis sensim veniant cuiusque societatis» 2. Hac autem optima ratione, ut planum est, non adimitur proprietatis ius sed huius potius favetur extensioni.

306 C. VI.—Henricus, vir ditissimus, praeter pecuniam in

1 Pius XI, l. c., p. 195.—Loquens de contractu emptionis-venditionis rerum, D. Thomas in eo praecipue insistit quod huiusmodi contractus in utilitatem et ementis et vendentis inventus est—quia unus indiget re alterius et e converso—, nec ideo debet redundare in gravamen unius prae altero (*infra*, n. 330). Idem prorsum dicendum est de laboris contractu, qui in utilitatem non modo initur patroni verum et operarii—nam et ille indiget huius opera, et hic eius pecunia.

1 Ioannes XXIII. enc. *Mater et Magistra*; AAS, 53 (1961), p. 420.

fundis collocatam, omnem aliam pecuniam liquidam ponit in mensis nummariis in sic dicto *conto corrente a vista*, qui ita continet dimidiam eius substantiam. Aegidius, qui est vir catholicus, eum monet ne ita agat et hortatur saepe ut potius pecuniam collocet in titulis industrialibus vel titulis status ad alleviandam coactam operis vacationem, quae valde lamentatur in regione ubi inhabitat. Restitit Henricus, quia ipse ita ratiocinatur: cum abundantiam bonorum fortunae habeam, securitatem potius quam multiplicationem bonorum meorum quaerere debeo pro me ac pro filiis meis. Aegidius vero eidem obicit proprietatem habere functionem socialem quoque, cui Henricus, ita agens, non obsecundat.

Sol.—Ad hunc casum cl. Palazzini: «De se pecuniam improductivam servare, quando pecuniae necessitas habetur gravis in societate ad mala socialia sublevanda non licet, quia qui ita agit functionem socialem suorum bonorum non servat. Recte igitur ratiocinatur Aegidius et rationes quas affert contra Henricum legitimae sunt. Attamen forsitan Henricus aliquam excusationem meretur quia, cum sit negotiorum haud expertus, timet ne aliis modis divitias suas amittat. Ceterum mensae nummariae ipsae pecuniam in negotia productiva convertunt. Nihilominus hortandus est Henricus ut, debitis cautionibus, pecuniam suam mutuet in aliis negotiis publicae utilitatis, data occasione» \

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Communista putans iniustam proprietatem privatam (I, 185);

1 Apud Palazzini-De Iorio. *Casus Conse.*, I, 111.—«Coloro che sono capaci di investire capitali, considerino, In vista del bene comune, se essi possano conciliare con la loro coscienza di non fare, nei limiti delle possibilità economiche, nelle proporzioni e al momento opportuno, simili investimenti e di ritrarsi con vana cautela in disparte» (Pius XII. radiomessaggio natalizio dei 1952; AAS, 45 [1953], p. 40).

Disputatio cum socialista de dogmatibus socialism! (II, 72); *Parochus perpetuo praedicans caritatem* (II, 305 ss.); *An socialismus sit prae Ecclesia efficacior* (II, 315).

V. PATRONORUM OBLIGATIONES

Doctrina.

- 307 Dominorum erga opifices obligationes complectuntur salarium, alia bona corporis, bona animae.
- De salario Leo XIII: «In maximis autem officiis dominorum illud eminet, iusta unicuique praebere... Fraudare vero quemquam mercede debita grande piaculum est, quod iras e caelo ultrices clamore devocat» \ In statu porro normali industriae, operario valido et plene utili illa merces suppeditanda est «quae ad illius eiusque familiae sustentationem par sit» 3. Habes hic auream regulam; quae nonnullas attamen patitur exceptiones. Nam, prout Vermeersch animadvertit, «iustitiam non offenderis minoris mercedis promissione, si operarii vel famuli, ex caritate assumpti, tibi ex parte saltem superfluum operam praestent; vel si secus moderatam proprii laboris retributionem obtinere nequeas; te enim aliis praeferre licebit. Fit quoque ut operarii qui iam aliunde congruos redditus habent hos, locando opera extra tempus, aliquando augere studeant, ideoque operas offerant stipendio quod iusto est minus. Spontaneam oblationem, vel *liberam* acceptationem recusare non cogaris» 3.
- 308 Quoad alia bona corporis scite Merkelbach: «a) in operibus aut industriis periculosis, cautiones adhibendae

» Leo XIII. enc. *Rerum Novarum*; Acta, XI, p. 111, ed. 1892.

a Pius XI. enc. *Quadragesimo Anno* \ AAS, 23 (1931), p. 200.

' Vermeersch, Th. Mor., II, 486. ed. 1928.

sunt quibus periculum removeatur pro vita, securitate aut sanitate; *b)* si periculum totaliter avertere sit impossibile, pro periculi probabilitate erit salarium augendum, aut damnum illatum aequè compensandum; *c)* pericula ex ipso labore provenientia dominus in se suscipere debet, et adversus illa operarios assecurare; excepto casu gravioris culpaè in operariis aut pravae intentionis; *d)* quotidianus labor nimis protrahi non debet, ne vires opificis exhauriantur» \

Animae bona denique ipse Leo XIII voluit expresse salva: «Similiter praecipitur religionis et bonorum animi habere rationem in proletariis oportere. Quare dominorum partes esse efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex; non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum illecebrisque peccandi» 3.

Casus primus.

Arnobius, qui magnum negotium exercet, interrogatus a confessario num omnia recte se habeant in eius opificio sive rei oeconomicae, sive moralitatis, sive valetudi-

309

1 Merkelbach, *Th. Mor.*, II, 551, ed 3.

a Leo XIII, l. c., p. 110.—«Ut Ecclesia catholica dignitatem defenderet, qua homo est praeditus, quod a Deo creatus est, quodque ipsi animum Deus, imaginem sui, ingenuit, nullo non tempore praecepit, ut tertio Decalogi mandato: *Memento ut diem sabbati sanctifices* diligenter ab omnibus satisfaceret. Ius enim et potestas Dei est homini imperare, ut, septimo quoque die, diem insumat in numini aeterno iustum debitumque cultum tribuendum; insumat in mentem suam, negotiis vitae cotidianae omissis, ad bona caelestia erigendam; insumat in conscientiae suae rimanda secreta, ut cognoscat quo loco sint necessariae inviolabilesque suae cum Deo rationes. Attamen homini quoque ius est et necessitas ab opere per intervalla cessare, non modo ut corporis sui vires a dura omnium dierum relaxet exercitatione, pariterque sensus honesto levamento avocet, sed etiam ut suae prospiciat unitati familiae; quae quidem ab omnibus membris suis requirit, ut magnam retineant vitae consuetudinem serenamque convictum» (Ioannes XXIII, enc. *Mater et Magistra*; AAS, 53 [1961], p. 459).

nis operariorum ratione habita, respondet: «Quamvis opus, ratione habita sive valetudinis sive moralitatis, magis idoneum sit viris quam feminis, leges tamen nullimode vetant usum operariorum feminei sexus; quapropter, etiamsi nonnulla incommoda oriantur, cum nihil contra legem agam, omni culpa vacuus sum. Si autem ad omnia incommoda vitanda viros in locum feminarum substituere vellem, tenuiores fructus essent mei negotii».

Quid dicendum?

Solutio

310 Quantum ad rem oeconomicam Arnobius, licet interrogatus, nihil directe respondet; dum fatetur attamen se adhibere in opificio feminas potius quam viros ne tenuiores fructus ex negotio percipiat, pandit se illis solvere salarium minus eo quod his solvere cogeretur. Et hoc certe si, quas invocat, civiles leges ferant, praesumptione nititur non esse tanti fructus feminea opera ac virilis labor producit. Prout Noldin enim loquitur, «ipsa natura duce alii labores magis viris, alii magis feminis earumque proprietatibus accommodati sunt; quodsi nunc temporis feminae labores suscipiunt qui viriles vocantur, ordinarie minoris valoris sunt et proinde etiam iusta merces eorum minor est»^x. Dum ergo stet praesumptio, Arnobius potest tuta conscientia se conformare his legibus. At si de facto constat, experientia, parem omnino fructum laboris feminarum atque virorum, tota praesumptio ruit et oportet legem civilem dare locum naturali legi, ad quam pro labore eiusdem qualitatis et emolumenti eadem quae viris merces debetur feminis Posset

¹ Noldin, *Th. Mor.*, II, 612, ed. 1932

* «Alla donna è dovuta per lo stesso lavoro e a parità di rendimento la medesima remunerazione che all'uomo» (Pius XII, alloc, d. 21 oct. 1945; AAS, 37 [1945], p. 288).

autem, vel in hac hypothesis, salarium minus propterea reddi quod illae feminae habent iam aliunde (v. gr. ex labore maritorum) congruos reditus, quos conantur augere operas offerendo vel libere locando minori pretio. Sed hoc difficile intellegitur in magno, quod Arnobius gerit, negotio.

Quoad moralitatem et valetudinem, quae Arnobius 311 fatetur oriri «nonnulla incommoda» non apparent cuiusnam sint dicenda gravitatis. In ore tamen laici (aliter atque clerici) verba «nonnulla incommoda» sonant, saltem ut plurimum, incommoda seria, id est magni momenti.

Et incommoda quidem valetudinis Leo XIII voluit procul abesse dum admonuit dominos «non plus imponere operis, quam vires ferre queant, nec id genus quod cum aetate sexuque dissideat» \ Si haec igitur quae Arnobius profitetur incommoda sint gravia feminis quae viris essent nulla, ad summum levia, sola ratio minoris lucri non permittit feminai

Sed moralitatis praecipuum inclamat: «Horrescit indantur pericula, quibus in operariorum (iuniorum priorumque mulierum pudiciores docent dominos ex iudiciis quibus viri et feminae pariter adhibeant quibus, pro] proxima peccati.

Nunc autem Arnobio, praesubstituat feminis, tenuiore non videtur esse ratio sufficiens officio.

¹ Leo XIII, l. c., p. 111.

² Pius XI, l. c., p. 221.

Ad notam enim regulam voluntarii indirecti (1,159 ss.), oportet malum effectum, qui permittitur, bono compensari, qui solus intenditur; sed in casu malus effectus, occasiones proximae peccati, non compensatur effectu bono, lucri praestantia. Haec etenim praestantia, aut exstat nulla, si debetur feminis par cum viris salarium—quoniam ipsarum laboris fructus aequat fructum laboris virilis—; aut exstat aliqua, si feminae locantur absque iniuria salario tenuiore, et tunc quidem vel pericula contra bonos mores fieri possunt remota vel necessario, practice, pergunt esse proxima; si primum, Arnobius potest feminas in opificio retinere, cum debita tamen vigilantia; si vero alterum, feminis tenetur in conscientia viros sufficere—non quidem statim, at sensim sine sensu, data opportunitate.

Alii casus.

313 C. II.—Mennas, amplae officinae herus, maioris lucri faciendi gratia, iubet operarios suos bacilla phosphorica conficere ope substantiae quae non leve periculum eorum sanitati affert; quam praxim excusat pinguiore mercede quam iisdem tribuit.

Sol.—Ad hunc casum Genicot: «Peccat, et quidem graviter, contra iustitiam Mennas si operarios moraliter cogit ad laborem istum *graviter nocivum* sanitati. Quod si sponte nullaque arte decepti vel coacti operarii in huius modi laborem pro maiore mercede consentiunt, videtur Mennas a gravi peccato immunis, siquidem uni cuique integrum est vacare laboribus utilibus quibus vita etiam pluribus annis minuatur. Attamen hic deest iusta causa conficiendi bacilla phosphorica ope substantiae periculosae, cum ope alius substantiae innocuae, sed cum minore lucro, confici possint: non est enim rationi conforme

hominis sanitati haud leviter nocere e solo motivo maioris lucri» \

C. III.—Utrum domini teneantur curam habere suorum famulorum qui infirmantur. 314

Sol.—Respondet Fanfani: «a) ex caritate, sine dubio; nisi aliunde ipsi famuli habeant modum sese curandi; b) utrum etiam ex iustitiar hoc dependet ex condicionibus contractus. Hodie, pro solutione casus, tuta conscientia stare possumus dispositionibus legis civilis» 1

C. IV.—Carpophorus emit machinam modernissimam quae operariorum numerum exigit valde tenuem. Hinc plures e conductis dimittit. Immo, quoniam salaria operariorum nunc decreverint, aliis quoque patronis damnum infert, ad emendam parem machinam imparibus. 315

Sol.—Ad rem Ferreres: «Licitum patronis est eas machinas introducere quibus res facilius et minori pretio producantur, quamvis propterea operarios plures cogantur dimittere, quorum opera patrono iam non sit necessaria; modo eos retineant usque ad finem contractus; vel si nullum tempus statutum est, eos opportuno tempore praemonuerint. Nec obstat quod forte plures operarii aliam artem addiscere debeant ut operam suam locare possint; nec quod alii patroni, qui impares sint iis machinis emendis, detrimentum capiant, eo quod pretium rei ob facilitatem productionis imminuatur: haec enim per accidens contingent, secus vix unquam novae machinae industriales, quae bono publico magnum afferunt emolumentum, possent introduci» 3.

C. V.—Magnas expensas Tammarus fecit in compa- 316

1 Genicot, *Casus Conse.*, 134, ed. 1928.

2 Fanfani, *Th. Mor.*, III, 270.

Ferreres, *Casus Conse.*, I, 1180, ed. 1926.

randis machinis novissimis et in officina construenda ad modernioris artis postulata. Vult autem minori rerum pretio plurimos sibi allicere clientes. Cogitat ergo de deprimenda mercede operariorum ut quod ex rerum pretio lucrum cessat deminuta mercede compensetur. Sed a parocho cui patefacit animum damnatur de iniustitia.

Sol.—Omnino recte parochus, quandiu depressio mercedis sit infra iustam infimam nec operarii libere consentiant ob promissam, v. gr., partem in messe post sationis laboriosum tempus foecunda.

317 C. VI.—Post protractum operistitium ab opificibus typographicis indictum, plures e patronis decreverunt nullos ex illis reassumendos in posterum; laeduntne iustitiam?

Sol.—Non necessario, cum ipsimet operarii officinas primi deseruerint; quod enim ius conceditur operariis ut operistico se defendant contra patronos, concedatur vel his oportet ut medio *lock-out* se defendant quoque contra illos. Cum operarii tamen a pluribus patronorum dimissi cogantur practice vel ad emigrandum vel ad alium laborem exercendum, cui minus apti paratique sint, caritas vult ut illi saltem pacifici operarii, qui aliorum dumtaxat metu cessarunt a labore, in officinas iterum recipiantur, si absque proprio gravamine eos valent recipere patroni.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Episkeia quoad laborem dominicis diebus (I, 409); Patronus quoad augmentum salarii ne operarii blasphemant (II, 402).

VI. MACHINARIORUM OBLIGATIONES

Doctrina.

Machinarius est susceptor vel redemptor operis, opifex nempe qui, pro determinato pretio conducitur, ad certum opus industria vel labore perficiendum, v. gr., ad domum aedificandam, viam ferream construendam, vestem conficiendam. Obiectum huius contractus non est—uti in contractu laboris—labor personalis praestandus, sed ipsum opus a susceptore producendum. 318

«Opus perficiendum saepe publice denuntiatur, exponendo quid sit conficiendum, quam ratione, ex quam materia, intra quodnam tempus, etc., ita quod varii conductores ad concurrendum invitentur, opus conficiendum adiudicatione committatur ei qui, omnibus perpensis, melius et pro minore pretio illud perficere sponderit vel saltem cum maiori securitate» x.

Susceptor autem operis potest se obligare aut ad praestandam dumtaxat operam circa materiam quam praebet committens vel locator, aut ad praebendam quoque materiam. 319

Eius speciales³ obligationes sunt: *a*) opus quod fuit contractum perducere usque ad perfectionem; et quidem; *b*) cum ea materia quae sibi traditur a committente aut quae cum committente conventa fuit; *c*) eo modo atque

1 Merkelbach, *Th. Mor.*, II, 545, ed 3.—Ideo, ut ipse ibidem animadvertit, «ex utraque parte omnino requiritur bona fides: in conductore, ut sincere intendat opus perficere sub determinatis condicionibus pro pretio indicato; in locatore, ut opus committat ei qui minus pretium petit, dummodo tamen idoneus sit ad rem bene perficiendam».

« Generales obligationes erga operarios habet ut conductor laboris (30T ss.); eorum ergo salarium minuere nequit ut opus minori pretio perficiat.

forma quae in contractu determinata fuerunt; *d*) cum debita diligentia; *e*) manu aut labore proprio, si eius peritia requiratur; *f*) opus perfectum tradere tempore convento; et *g*) eo pretio quo una cum committente convenit.

Nequit ergo sibi assumere opus, cuius non est competens, aut quod complere nequit quale fuit pactum vel intra statuti temporis spatium; teneretur alias de damnis quae obveniunt committenti sive ob affectatam peritiam sive ob susceptas alias occupationes quibus ne illi vacet operi impeditur.

320 Si res perit, domino perit. Prae traditione igitur, susceptori laboris perit labor atque materia ab eo posita; labor, non autem materia posita a committente—nisi ex vitio pereat huius materiae.

Committens opus solet apponere inspectores qui constructioni invigilent. Hi autem si cum operis susceptore cooperantur in damnum committentis—quod impedire debebant nec impediunt—, tenentur ad damni compensationem in solidum—id est ad totum damnum compensandum singuli—, condicionate tamen—si damnum videlicet nec compensat totum susceptor operis, nec compensant pro rata ceteri inspectores. Insuper «proprio nomine restituere debent eam mercedis suae partem quam immerito perceperunt; quia obligationem invigilandi, quam pro mercede susceperant, culpabiliter non impleverunt» \

Casus primus.

321 Caesar, machinarius valde peritus, pluribus negotiis cumulatus, quibus renuntiare non audet, ne clientes amittat et, imminutis lucris, ad sustentandam copio-

» Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I. 963, ed. 1939.

sam prolem impar evadat, quod facere per se non potest Aelio, suo assistenti, committit, instructionibus insuper additis per telephonium.

Quadam die, in qua, laboribus onustus, ita egerat, in fabrica a se directa accidit ut structura lignea, facta ad muros superelevandos, ceciderit duosque operarios occiderit. Caesar potuit carcerem effugere, quia demonstrare valuit, immutando in nonnullis rebus veritatem, duos operarios ob culpam propriam periisse, cum praecepta adamussim non observavissent.

Occasione tamen communionis paschalis a confessario, cui omnia panderat, graviter reprehenditur, tamquam reus homicidii culposi et ad reparationem damnorum erga mortuorum familias damnatur.

An recte confessarius?

Solutio

Quoniam valde peritus praedicatur, Caesar et condu- 322
citur ob peritiam personalem et pluribus negotiis cumulat, quibus renuntiare non audet ne clientes amittat et impar sit sustentandae familiae numerosae. Porro, si quae negotia suscipit forent dumtaxat *plura*, nihil certo mali. Verum sunt et *niinia*, his cum nequeat ipse satisfacere. Quaedam ergo committit Aelio.

Aelius, qui peritia Caesaris non gaudet—quique tamen, tanti machinarii adiutor, capax supponitur eius mandata fideliter executioni committendi—, ab eo recipit instructiones. Hae autem quandiu tales a Caesare dentur et ab Aelio accipiantur quales permittant Aelio opus perficere quod a Caesaris petitur clientibus, nulla dignus est Caesar reprehensione etsi instructiones det per telephonium. Si vero non sint tales, aut quoniam dantur breves et insufficientes, aut quoniam non plene re-

cupiuntur sive ob medii telephonici defectu sive ob audientis impatientia, tunc profecto Caesar carpendus est qui tenebatur instructiones dare omnibus numeris absolutas et se certiozem reddere de fideli ac profecto illarum captu—personaliter saltem Aelii comprobans opus.

323 Id propterea quod infortunii contigit, duorum operariorum mors propter lapsum structurae lignae, estne imputandum Caesari? Si structura ligna ideo corruit quoniam materia vilis, aut haec fuit praestita a committente opus—et tunc Caesar tenebatur ipsum atque operarios monere de periculo, quod committens In se recipe-ret—, aut fuit praestita ab operis susceptore, contra pactum—et tunc Caesar ad compensanda damna tenetur—. Tenetur quoque si lapsus structurae non vilitati materiae sed vitio constructionis tribuendus, ob deficientem Caesaris diligentiam—et hic videtur casus noster, cum Caesar excusetur quod, laboribus onustus, instructiones per telephonium dederat.

Ipsa quoque carceris poena, imminens sibi a indicé, prodit Caesaris culpam. Et si quidem huius culpa fuit dumtaxat iuridica, non tenebatur ad damnorum compensationem nisi post sententiam—quae non fuit lata—; at si culpa quoque theologica, tunc tenetur a iudicis sententia independentem. Posset profecto ambigi num eius negligentia—sive defectus diligentiae—fuerit levis aut gravis (cf. III, 73); levem enim circumstantia videtur pandere «laboribus onustus»; sed gravem probant *nimia* quae suscipit negotia atque iudicium confessarii, cui Caesar «omnia panderat». Neque a gravi culpa inde eximitur quod habeat prolem copiosam sustentandam; uti scite enim cl. Felici animadvertit: «Machinarius valde peritus cuius opera a multis postulatur, quibus emolumentis facile intellegitur, vix dici potest coactus ad superiores (viribus) labores assumendos, ne ad sustentandam prolem copiosam impar evadat; nisi proli praestet ditissi-

mam sustentationem; quod aequum non est, damno aliorum» \

Quibus facienda est damnorum reparatio? Confessarius, totius rei conscius, reparationem urget erga familias mortuorum. Unde liquido constat Caesarem aut non assicurasse illos operarios sed hos suo periculo suscepisse, aut, immutante in nonnullis rebus veritatem demonstrasse illos ob culpam propriam periisse, quorum propterea mortem societas assecurationis non compensavit—privationis pensionis debitae familiis mortuorum. Caesar fuit causa efficax et iniusta.

A l i i c a s u s .

C. II.—In alienam civitatem machinarius Theopompus vix pervenerat cum locales constructores, concurrentiam eius pertinentes, legationem miserunt. «Neminem, inquiunt, latet adventus tui scopus; quapropter tibi offerimus centum millia francorum si abstines a licitatione pro praetoria domu construenda». Theopompus, qui de hac domu aedificanda nihil prorsus noverat, respondit: «Nisi pecuniae summam duplicetis oblatam, nihil vobis promitto». Illi, quantumvis aegre, consenserunt. Theopompus igitur, qui venerat pro solis viribus reficiendis, rediit post mensem ad patrios lares non modo refectus viribus sed et ditatus opibus. Iure aut iniuria?

Sol.—Iure equidem. Nam etsi non haberet licitandi intentionem, habebat tamen ius et poterat, semel ac rei fit certior, cum localibus constructoribus licitare. Iuris ac libertatis abdicatio digna, absque dubio, pretii. An tanti, quantum Theopompus petiit, rei ignarus? Propterea quod rei ignarus, is stare potuit localium constructorum definitivae aestimationi qui rem optime noverant.

i Apud Palazzini, *Casus Conse, de praecipuis professionibus*, p. 83.

326 C. III—Utrum in publica licitatione seu concursu alicuius operis construendi—e. gr. in concursu pro construenda domo—, concurrentibus liceat inter se convenire de non minuendo pretio, sub hac tacita vel etiam expressa condicione quod ille cui opus exsequendum assignabitur, infimum pretium percipiet, differentia autem inter infimum pretium et summam a locatore realiter solutam, inter diversos concurrentes dividatur?

Sol.—Respondet Fanfani: «Si summa quae realiter a locatore exigitur sit supra pretium maximum, negative..., quia contractus locationis rei reducitur ad contractum venditionis; vendere autem supra pretium maximum est contra iustitiam. Si sit infra, affirmative: cum enim pretium locationis non sit in casu supra maximum, nulla vera iniustitia habetur erga locatorem rei; forma autem contractus inter diversos concurrentes reducitur ad contractum societatis, qui, cum debitis condicionibus initus, certissime licet. Excipe, si mediis iniustis, e. g. violentia, fraude, conductores consociati impedirent ut nullus alius, praeter ipsos, ad licitationem operis concurreret» 1.

327 C. IV.—Cuthbertus, qui aedificium susceperat construendum, viliores materias adhibet quam conventum fuerat. Estne carpendus?

Sol.—Ad rem Tanqueray: «Contra iustitiam peccat qui viliores materias adhibet..., praesertim quando exinde minuitur operis soliditas; ita enim damnum iniuste domino infertur. Illud tamen haud raro nostris diebus occurrit; et non pauci conductores aliquando bonae fidei esse possunt, quando viliores materias adhibent, quae tamen aedificii soliditati non obstat, et aliunde necessarium reputant ne damnum ipsi incurrant; si praevidea-

1 Fanfani, *Th. Mor.*, II, 499.

tur monitionem pro praeterito inutilem fore, ab his fraudibus tamen pro futuro caute arceantur» *. Alii tamen animadvertunt: «Accidit non raro, pacto conveniri de materia optima adhibenda, v. g. pro domo aedificanda optimos lateres adhibendos esse, optimam calcem, optimum lignum, etc., quibus tamen verbis ex usu recepto non nisi materia vere bona intellegenda est» 2.

C. V.—Paterius, operum susceptor, hunc fatetur confessario morem, inspectoribus nempe operis pecuniam tradit ut eorum sibi captet benevolentiam. 328

Sol.—«Conductores aliquam pecuniae summam inspectoribus tribuendo ad captandam eorum benevolentiam, peccant contra iustitiam si id faciant ad eos corrumpendos ut materiam viliores aut opus vitiosum approbent aut non recusent; non autem peccant si ita agant ad iniquam vexationem redimendam, quando nempe praevident inspectores secus inique eos esse vexaturos». Ita Merkelbach

C. VI.—Theophanes opus suscepit perficiendum pro statuto pretio; postea tamen advertit operis perfectionem pluris esse, ita ut, nedum lucrum obtineat, damnum subeat. Teneturne locator, illo reclamante, statutum pretium augere? 329

Sol.—Si damnum inde provenit quod susceptor non praevidit pericula ordinaria—augmentum, puta, pretii sive rerum sive operarum—, locator non tenetur iustitia ad statutum pretium augendum: agitur enim contractus aleatorius, quapropter pericula, saltem ordinaria, operis redemptor in se suscipit. Si vero damnum provenit tum ob pericula extraordinaria—casus omnino fortuitos—,

1 Tanquerey, *Th. Mor.*, III, 768, cd 1931.

2 Aertnys-Damen, l. c., n. 963 n.

3 Merkelbach, l. c., n. 548.

tum ex erronea computatione praesentium condicionum—quia non satis consideravit vel rerum atque operarum pretium vigens vel quantitatem et qualitatem suscepti operis—, tunc locator tenetur iustitia, saltem aequitate, ad augendum pretium usque ad iustum infimum, infra quod scilicet nemo posset indemnis complere opus. Practice standum erit statutis legis civilis vel loci consuetudini.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Num sint obscenae imagines pro usu scientiae (II, 412); Cur non liceat exponere humanam pulchritudinem (II, 414); Pingens amasio concubinam (II, 41G).

VII. MERCATORUM OBLIGATIONES

Doctrina.

330 Mercatores, etsi proprie dicantur qui exercent mercaturam—minoris res ementes quas pluris vendant—, ii quoque intelleguntur qui venales habent merces, has etsi non emerint.

Venditio definitur pactio mercis pro pretio, et venit correlativa emptioni, seu pactioni pretii pro merce.

Obligationes mercatorum hinc generatim definiendae sunt quod contractus emptionis-venditionis in utilitatem et ementis et vendentis introductus est ac perennatur, prout et emptor indiget merce et venditor pecunia sive mercis pretio. Quod in communem igitur utilitatem fit, non debet in gravamen unius prae altero redundare. Ideo D. Thomas praemisit¹ verbum Domini: «Omnia

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 77, 1 sc.

quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis» (Mt. 7, 12); quod quidem verbum S. Franciscus Salesius ad rem accommodavit: Emens cogita te vendere, et vendens cogita te emere; sic vendes et emes ad iustitiae regulam (cf. II, 303 n).

Quoniam iustitia petit aequalitatem, oportet haec 331 servetur inter venditorem et emptorem, quatenus ille mercem, hic tribuit pretium. Mercator igitur ne pretium petat nisi merci proportionatum, aequale, iustum.

Porro determinatio iusti pretii aliquando lege, aliquando fit aestimatione hominum—nemo tamen index in propria causa—. Sed quoniam leges in diversis regionibus, diversis quoque temporibus sunt variae, hominumque aestimatio non una ubique et semper, pretium hoc iustum—legale aut vulgare—aliud et aliud apud diversos populos, nec constat in indivisibili apud unam gentem. Vulgare maxime admittit latitudinem, vi cuius distinguitur pretium summum—ultra quod reputaretur pretium nimium—, pretium infimum—infra quod haberetur pretium insufficiens—et pretium medium—inter summum infimumque, nempe \

1 «Dato pretio legali, ipsi standum est in conscientia, quia statuitur ab auctoritate in bonum commune, et ita certior est regula; nisi tamen sit manifeste iniustum (quod vix accidit), aut rebus notabiliter mutatis, evadat iniustum; aut a maiori parte populi non servetur et in desuetudinem abierit; aut merx pretiosior notabiliter sit vel deterior, quod est titulus extrinsecus. Qui ergo sine ratione speciali atque iusta illud pretium excedit, iniustitiam committit et ad restitutionem tenetur erga emptores; immo erga alios venditores s* pretium imminuit et istud non tantum in eumentium, sed etiam in vendentium favorem fuerit statutum» (Merkelbach, *Th. Mor.*, II, 517, ed. 3).

«Deficiente pretio legali standum est pretio vulgari, ita ut vendere ultra pretium summum et emere infra infimum sit iniustum. Ratio est, quia pretium vulgare determinatur a communi aestimatione et proinde censetur iustum. Iudicium autem privatum saepe est caecum, fallax, cupiditate perversum... Hinc si in aliqua regione communiter magni aestimatur aliqua res, quae in alio loco parvi aestimatur, potest in primo loco magnum pretium exigi» (Prümmer, *Th. Mor.*, II, 298, ed. 1928).

Adsunt tituli extrinseci, ob quos licet rem vendere ultra summum pretium, v. gr., modus vendendi—qui vendit in parva quantitate seu minutatim plures expensas sustinet mercem custodiens et alienans quam qui acervatim seu copiose—, damnum emergens—«puta cum aliquis multum indiget habere rem aliquam, et alius multum laeditur si ea careat. Et in tali casu iustum pretium erit ut non solum respiciatur ad rem quae venditur, sed ad damnum quod venditor ex venditione incurrit», prout D. Thomas¹ loquitur—, et lucrum cessans—ut si quis hodie ad emptoris instantiam vendat triticum quod servare intendebat in tempus quo pluris valebit.

Si quando pretium legale una ac vulgare desit, locus est pretio conventionali, determinato scilicet emptoris et venditoris libera voluntate.

332 Verum semel convento pretio, etiam vulgari, infimo, venditor contra iustitiam peccat si rem venditam immittit vel adulterat prae traditione, ideo ut se compenset de pretio medio aut summo quo rem licebat vendere.

Nisi aliter conventum fuerit, venditor tenetur de evictione tempore venditionis existente neque tamen emptori declarata²; tenetur quoque de vitiis redhibitoriis, etiamsi ea ignoraverit³.

¹ S. Thomas, l. c., corp.

² «Evictio est legitima deturbatio emptoris in possessione rei emptae, quae sive totaliter sive partialiter revindicatin' a vero domino, vel ab alio ius in eam habente... Iure autem naturae venditor bonae fidei tenetur pretium acceptum reddere, in quantum ditior factus est. Venditor malae fidei tenetur emptorem omnino indemnem servare. Iure tandem positivo, venditor malae fidei semper tenetur reddere emptorem indemnem. Eadem etiam obligatio incumbit venditori bonae fidei excepto tamen casu quo de contrario conventum fuit» (Marc, *Inst. Mor.*, I. 1126, ed. 1927). M

³ «Vitia redhibitoria dicuntur defectus occulti, emptori haud noti, tempore venditionis existentes, qui rei usum naturalem vel venditori declaratum penitus Impediunt, aut ita minuunt ut emptor eam non emisset, vel minoris emisset, si eorum notitiam habuisset... Venditor tenetur de vitiis redhibitoriis, etiamsi ea ignoraverit. Obligatur, ad nutum

Tenetur denique rem venditam emptori tradere qualis erat venditionis momento et his circumstantiis loci, temporis, modi de quibus ambo contrahentes conveniunt, aut, si conventio nulla, quas vel lex civilis vel consuetudo firmat. Et interea ipsam fideliter, instar depositarii, custodire *.

Casus primus.

Aegidius, commercio vini et olei addictus, magnum 333
lucrum reportat ita agendo: vina parum alcoholica miscet vinis fortissimi vigoris alcoholici, ita ut miscelae acquirant saporem vini alicuius exterae regionis (puta Malaga), a quo loco tantummodo parvam quantitatem importat, ne a fabricis originariis vel a proprio Gubernio deprehendatur et denuntietur. Ita oleum olivae oleo seminum miscet et vendit tamquam purissimum oleum olivarum.

A confessario interrogatus an iustum pretium servet, affirmative respondet; ita pariter interrogationi an servet pondus et mensuram debitam.

Interroganti denique confessario an quicquam aliud minus honestum et iustum in commercio admiserit, respondet Aegidius nihil sibi, praeter relata imputandum esse; nihil ceterum se offendisse honestatem et iustitiam, cum illud vinum mixtum omnes qualitates habeat vini quod fingit vel imitatur; oleum autem seminum a plerisque tamquam oleum olivarum vendatur.

Quid dicendum?

emptoris, vel contractum rescindere, vel partem pretii restituere, iuxta aestimationem peritorum» (Id., ib.).

l «Quare, si ex ipsius culpa, res pereat aut detrimentum patiatur, damnum reparare tenetur... Quod si non ex culpa venditoris sed casu fortuito res perit aut damnum passa est, ille damnum subit qui rei dominus est» (Fanfani, *Th. Mor.*, II, 464).

Solutio

334 Quod ad vinum attinet, supponimus pretium vini mixti unum idemque fuisse atque vini puri seu authentici; Aegidius enim asserit pretium servasse iustum. Nec obstat quod dicatur magnum lucrum habere ex venditione: hoc enim lucrum oriri potest tum ex volumine venditionis, tum ideo quod non sustinet importationis vel expensas vel vectigalia.

Porro non solvens vectigalia, seu tributum importationis, nullam committit Aegidius iniustitiam erga Gubernium proprium, cui pro tanto ius est ad tributum pro quanto exterae merces introducuntur.

At laeditne iustitiam erga vini genuini productores, venditores alios, emptores ipsos? Duplex hypothesis: aut vinum illud mixtum habet (quem ad modum Aegidius asseverat) omnes omnino qualitates vini quod fingit vel imitatur; aut nonnullis huius qualitatibus destituitur.

335 Aegidius committit iniustitiam contra authentici Malaga productores si horum nomen vel distinctivum (marca registrada) legibus civilibus protegitur—ut exinde apparet quod timet ne a fabricis originariis deprehendatur et denuntietur—, in hypothesisi prima, quia illos mendacio privat lucro privilegii iuste acquisiti, in altera quia mendacio insuper famam vini authentici minuit et ideo emptorum numerum.

Venditoribus aliis vini genuini iniuriam facit Aegidius in prima hypothesisi, neque modo si diceret se unum esse qui vinum genuinum veniui habet, nam mendacio privaret ceteros toto huius vini venditionis lucro, sed etiam si dicat se vinum vendere qualem ceteri vendunt, nam mendacio hos privaret parte lucri—parte scilicet quae contingit sibi—. At nulla videtur adesse iniuria in hypothesisi altera: depretiato etenim vino authentico, ceteri vendi-

tores ab hoc vino venundando abstinerent, quod nemo vult emere, et vacarent vendendis aliis, cum non minori lucro.

Emptoribus, denique, nisi casum excipias in quo hi 336 non emerent quod mixtum vinum noverint, nullam infert iniuriam Aegidius noster in prima hypothesisi; ait enim D. Thomas: «Si per alchimiam fieret aurum verum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere: quia nihil prohibet artem uti aliquibus naturalibus causis ad producidos naturales et veros effectus»¹; nec obiciatur pretium peti ab Aegidio pro vino falsificato quod est iustum pretium vini genuini, nam ut Ferreres animadvertit, nec est facile definire quantum lucrum liceat venditoribus accipere, nec ipsa peritia chimici est parvipendenda². In secunda tamen hypothesisi adest ad emptores vera iniuria si ob defectum qualitatis vinum falsificatum redditur emptoribus damnosum, saltem, totaliter aut partialiter, inutile—damnosum, si quaeratur, v. gr., pro conservatione vel revenditione, vinum autem falsificatum nec conservari possit nec absque pretii deminutione vel multae periculo revendi; inutile, pro toto aut parte, v. gr., si quaeratur tantum vel etiam pro sanando aut sublevando morbo, cui tamen non proficiat³.

Relate ad oleum olivae quod Aegidius miscet cum oleo 337 seminum et vendit tamquam purissimum, se propterea excusans quod a plerisque oleum seminum quasi olivarum venundetur, confessarius oportet certior fiat num

¹ S. Thomas, l. c., a. 2, Im.

² Ferreres, *Casus Conse.*, I, 1112. ed 1926.

³ Ita cl. Visser, apud Palazzini, *Casus Conse, de praecipuis professionibus*. p. 54; ubi et animadvertit: «Si vinum substitutum venditur parva quantitate pro immediata consummatione, ipsa substitutio iustitiam non laedit, quia communiter id quod quaeritur a potatoribus est gustus bonus vini determinati: quoad istum autem finem emptores recipiunt quod quaerunt».

revera praxis huiusmodi vigeat necne communiter in loco.

Si quidem viget, tunc oleum seminum est in communi aestimatione unius utilitatis atque pretii ac oleum olivarum; pretium ergo non est iniustum—eo magis quod Aegidius non vendit, uti ceteri oleum seminum, sed oleum seminum oleo olivarum mixtum—; neque carpendus esset de fraude, nisi protestetur (atque credatur) se purissimum oleum olivae vendere.

Si autem non viget, tunc praeter fraudem circa qualitatem—nam oleum purissimum olivae proprietates habet, culinarias et medicinales quibus caret seminum oleum—, iniustitiam committit Aegidius quod ad pretium—oleum enim mixtum non est tanti quanti purissimum olivarum—; praeter casum quo emptores recusarent olei purissimi solvere pretium iustum \

Magnum attamen lucrum quod Aegidius, etiam ex olei venditione, reportat non modo casum hunc excludit, verum etiam communem illam praxim.

Alii casus.

- 338 C. II.—Ad Brendanum, horologiorum venditorem, Metellus accedit ut sibi de horologio provideat. Timens autem ne horologium accipiat imperfectum, cupit idipsum emere quo Brendanus utitur. Sed Brendanus hoc habuit ab uxore occasione nuptiarum; quapropter specialiter sibi est utile—praeterquam signat horas, uxoris amantissimae excitat memoriam—. Ideo petit pretium supra summum eiusdem qualitatis horologiorum. An juste?

Sol.—Affirmative, nam ultra pretium horum horo-

1 «Aliquando mercatores ita agunt, quia emptores rei naturalis pretium solvere nolunt; tunc in iustitia non committitur quidem, sed magis honeste agerent, si aperte dicerent rem non posse tali pretio comparari» (Tanquehey, *Th. Mor.*, HI, 740n, ed. 1931)

logiorum est horologio Brendani pretium, ut dicitur, affectionis; ei igitur, quia specialiter carum, est pretiosius.

C. III.—Alia die ad Metellum pistorem currit Brenda- 339
nus dicens: Vende mihi panes, quoniam habeo inexpectatos ac insignes hospites nec uxori est aliquid quod ponat ante illos. Cogitavit ergo Metellus de Brendano conficiendo suis ipsis telis. Quapropter: «Si specialis, inquit, utilitas tua legitimum reddidit pretium adauctum horologii, haec quoque utilitas quam ex pane nunc habes specialem ius mihi confert ut panis pretium augeam. Hunc propterea solve pretio ultra summo».

Sol.—Iniuste agit Metellus pistor, quoniam non est paritas. In casu enim praecedenti, utilitas est vendentis, qui propterea vendit rem suam et rem sibi cariorem. In casu autem qui modo agitur, utilitas est ementis, et nemo potest vendere quod non est suum¹. Scite Vermeersch: «Concessa contraria opinione incidimus in consecraria evidenter absurda: *a)* Pretium iustum non tantum exigi potest, sed solvi debet. Si ergo specialis emptoris utilitas rationem mutet pretii iusti, emptor vel ultro augere debuerit pretium, vel saltem indicare eam utilitatem, ut venditor iure suo augendi pretii uti possit. Nemo tamen sic dixerit; emptoresque ad varias confugiunt artes ut haec utilitas ignoretur, *b)* Praeterea, sicut res specialiter utilis esse potest emptori, ita non raro pecunia speciale affert venditori commodum quaestus. Non ideo tamen is existimat se obligatum ad aliquid de pretio detrahendum, etiam si conetur computare specialem emptoris utilitatem. Nonne haec sunt omnino arbitraria? *c)* Ut

¹ «Si aliquis multum iuvetur ex re alterius quam accepit, ille vero qui vendidit non damnificatur carendo re illa, non debet eam supervendere. Quia utilitas quae alteri accrescit non est ex vendente, sed ex condicione ementis: nullus autem debet vendere alteri quod non est suum, licet possit el vendere damnum quod patitur» (S. THOMAS, l. c., a. 1).

iam arguit Molina, fas tunc foret carius vendere pauperi quam diviti. Specialis enim indigentia nonne prodit specialem utilitatem?» \

340 C. IV.—Exsistit in regione pretium vini legale. Ennodius ergo a confessario petit num sibi liceat vinum vendere infra huiusmodi pretium?

Sol.—Certo certius. Nullam enim iniuriam committit erga emptores, in quorum favorem pretium legibus definitur; his namque, vel lege posita, posset vinum gratis praebere. Nullam pariter ad alios venditores, etsi inde quod minoris vendens clientes alliciar ad tabernam vinariam suam et elonget a ceteris: vertitur actus cum duplici effectu (cf. I, 159 ss.). Si tamen, praeter morem, pretium fuisset lege statutum in vendentium gratiam—puta ad vitandam concurrentiam— tunc illicite ageret Ennodius noster.

341 C. V.—Deficiente pretio legali simul atque vulgari et remotis fraude, vi, metu aliisque iniustis mediis, potestne haberi iustum pretium conventionale quaecumque?

Sol.—Volunt aliqui pretium illud esse necessario moderandum iuxta communem aestimationem peritorum in singulis materiis aut per comparisonem ad res consimiles. Sed alii moderamen dumtaxat exigunt in venditione atque emptione rerum quae sunt ad humanos usus necessariae; permittentes ut res ceterae a privatis vendantur et emanent pretio quo venditor cum emptore convenerit. Unde Vitoria: «Si aliquis nollet canere nisi alius daret mille aureos, et alius daret, quis diceret quod ille tenetur ad restitutionem?... Item, si aliqua puella acciperet ab alio mille ducatos pro voluptate et stupro, et

1 Vermeersch, *QQ. de iustitia*, n. 345, ed. 1904.

alias nollet habere rem cum illo, et ille daret, nullus condemnaret illam ad restitutionem»

C. VI.—E pluribus quae Nicander venalia habet non- 312
nulla sunt defectuosa; rogat igitur confessarium utrum iniuste agat dum tacet de defectibus.

Sol.—Multiplex distinctio, necessaria: a) si mercem defectuosam vendit pretio mercis integrae, affirmative; si mercis defectuosae diminuit pretium pro mensura defectuum, tunc b) si defectus mercis sit manifestus, negative—nisi pateat emptoris imperitia, nam defectus foret huic occultus—; si vero defectus sit occultus, tunc c) si defectus sit substantialis, reddens videlicet mercem noxiam—cibum puta venenatum pro cibo sano—vel inutilem fini emptoris—vinum puta sophisticatum pro vino in Missae celebratione adhibendo—, affirmative; si defectus autem sit accidentalis, tunc d) aut Nicander interrogatur specialiter de hoc defectu, et tunc affirmative—nisi respondens aut non credatur¹ aut protestetur se nolle rationem reddere, verum rem vendere qualiscumque est—; aut non interrogatur specialiter de hoc defectu, et tunc negative—etsi peccare possit contra caritatem, non monens, v. gr., emptorem ne vinum diu conservet quod evanescit brevi.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Vacans negotiationi (I, 23); Vacans commercio clandestino (I, 387); Num sint obscenae imagines pro iisu scientiae (II, 412); Medicinam vendens quae adhibetur ut plurimum pro abortu (II, 463); Adiuvens dominum ad merces adulterandas (II, 468 ss.); Approbans et iuvans dominum ad mercium adulterationem (II, 474); Liquorem praebens

¹ Victoria, in II-II, Tt, l. n. 6. ed. Beltrân de Heredia,

^a Nullam communiter adhibemus fidem mercatoribus rem prorsus integram asserentibus; liberi ergo mercem nostro periculo suscipimus.

ebrietati proximis (II, 484); *Phannaca suppeditans ad impediendam prolem* (II, 492 ss.); *Opii commercium* (II, 495); *Res venales nuntians in pravis periodicis* (II, 497); *Vendens folia communistica* (II, 499 s.); *Deferens emptoribus prazos libros emptos* (II, 501); *Mercatores se compensantes pondus vel mensuram minuentes* (III, 98); *Mercator negans se habere quae emptores petunt* (II, 509).

VIII. MEDICORUM OBLIGATIONES

Doctrina.

343 Medici—et chirurgi—debent pollere sufficienti scientia atque peritia, nam secus se voluntarie exponerent periculo grave damnum aegrotis inferendi. Tenentur igitur a suscipienda alicuius cura abstinere quandiu scientia illa vel peritia careant neque casus urgeat (cf. I, 76); et tenentur, ubi non sint satis competentes, operam declinare peritioribus.

Si medicus sit conductus, a societate vel a privatis, tenetur ex iustitia curam suscipere aegrotorum pro quibus conductus fuit; si non est conductus, tenetur ex caritate ad aegrotos qui eius indigerent auxilio (II, 316 ss.).

344 Cura suscepta, medicus tenetur ex iustitia diligenter atque fideliter munus suum implere. Diligentia ab ipso postulatur maior aut minor, prout morbus agitur gravis aut levis; unde et in casibus difficilioribus officio adstringitur aegrotum conquisite explorandi, visitandi etiam noctu et frequenter, immo et vacandi speciali studio et consulendi doctiores vel peritiores—propriis etiam expensis si ipse deficiat ordinaria scientia—. Fidelitatis autem officia plura. Quorum primum atque fundamentale quod, cum conductus, vocatus vel admissus ut adiu-

vet aegrotum ad salutem recuperandam, ab iis absteineat omnibus quae vel aegritudinis ingravationem vel vitae abbreviationem secum ferrent; remediis ergo utatur quae aestimat tutiora (III, 48), vitet operationes periculosas nisi necessarias; praescribat vel adhibeat medicinas congruas—devitans superfluas—. Prae oculis semper habeat nec aegrotum obligari ut vitam servet mediis extraordinariis nec medicum ipsum ius in aegrotum obtinere quod aegrotus valide ei non conferat, at valide nemo confert ius quo ipse caret'. Aliud fidelitatis officium est ne aegrotos quos examinat committat castitatis discrimini, ipsis sanandis remedia vel consilia det adversa bonis moribus—v. gr., de onanismo, de abortu—, ab operationibus illicitis absteineat (cf. III, 133 ss.). Tenetur insuper ad secretum officii sive professionale (cf. III, 274 ss.). Prohibetur ne in stipendio pro suis serviciis definiendo terminos excedat iustitiae et caritatis (cf. 356 ss.). Vi denique postremae huius virtutis debet medicus, per se vel per alios, aegrotum admonere de periculi gravitate et propterea de sacramentis recipiendis et familiaribus componendis rebusa.

1 «Le médecin, comme personne privée, ne peut prendre aucune mesure, tenter aucune intervention sans le consentement du patient. Le médecin n'a sur le patient que le pouvoir et les droits que celui-ci lui donne, soit explicitement, soit implicitement et tacitement. Le patient de son côté ne peut conférer plus des droits qu'il ne possède... En ce qui concerne le patient, il n'est pas maître absolu de lui-même, de son corps, de son esprit. Il ne peut donc disposer librement de lui-même, comme il lui plaît» (Pius XII. alloc, d. 13 sept. 1952; AAS. 44 [1952], p. 782).

2 «Hinc: 1) Si alii infirmum monere non possent aut non vellent, vel si infirmus iis de periculo monentibus non crederet, ipse medicus per seipsum monere eum tenetur. 2) A monitione tamen excusaretur, si moraliter certo sciret aegrotum esse in statu gratiae et res temporales iam composuisse, aut ita in impietate esse obfirmatum ut etiam monitus converti non vellet: id tantum valde raro cum certitudine affirmari potest. 3) Familiam quoque monere debet medicus, quo tutius spirituali et temporali bono moribundi provideatur» (Merkelbach, *Th. Mor.*, II, 380, ed. 3).

Casus primus.

345 Cum in aliqua natione lex paretur qua liceat medicis euthanasiam adhibere illis aegrotis qui, cum insanabiles sint et dolorosissimae morti properent, conscii tribuant consensum, plures e collegio medicorum legi condendae plaudent. At cum unus ex his, Cyprianus nomine, notitiam daret parocho, experientia et aetate venerabili, hanc obtinuit sententiam: Data nec concessa euthanasiae moralitate, tot afferret lex consecutaria gravissima ut ab ea ferenda sit prorsus abstinendum. Non erat Cyprianus de illorum numero qui putant cum Philosopho attendendum esse expertorum et seniorum indemonstrabilibus enuntiationibus non minus quam demonstrationibus¹; quapropter silentium quidem tenuit, ne fiducia videretur deficere, sed recurrit inde ad theologum petens quae sint inconvenientia practica ex lege illa cogitata timenda.

Quaeritur:

- 1) Quid sit euthanasia.
- 2) Quid sit Cypriano respondendum.

Solutio

346 *Ad Ium.*—Euthanasia—mors sine dolore—inuit, communi usu, occisionem non dolorosam pharmaco analgetico provocatam. Alia est directe occisiva; alia, directa lenitiva; ibi mors est voluntaria in se—uti finis vel medium—; hic vero est voluntaria tantum in causa.

Et directe quidem lenitiva oportet iudicetur ad regulam voluntarii indirecti (I, 159); et ideo illicita dicatur si abbreviatio vitae aut veniat medium ad alleviandos do-

¹ Aristoteles, VI *Ethic.*, c. 9, n. 6

lores aut sit volita—nec dumtaxat permissa— vel desit proportionata causa ad permittendam vitae abbreviationem (cf. I, 170).

Quaestionem de liceitate euthanasiae directe occisivae, contemplatae lege de qua est sermo, nec parochus nec Cyprianus tangunt; unde et nos in posterum remittimus (351).

Ad Illum.—Quia de lege condenda agitur, praemittamus cum D. Thoma legem ferendam esse sub forma universali: afficit enim plures personas, plura negotia, protractum quoque tempus \ Legis ergo applicatio ad casus singulos prudentibus seu sapientibus committenda est, qui ideo gerunt iudicis personam. 347

Quin propterea iudici nimia sit libertas concedenda. Ad rem ipse Angelicus: «Sicut Philosophus dicit, *I Rethor.*, melius est omnia ordinari lege, quam dimittere iudicium arbitrio. Et hoc propter tria. Primo quidem, quia facilius est invenire paucos sapientes, qui sufficiant ad rectas leges ponendas, quam multos, qui requirerentur ad recte indicandum de singulis. Secundo, quia illi qui leges ponunt, ex multo tempore considerant quid lege ferendum sit: sed iudicia de singularibus factis fiunt ex casibus subito exortis. Facilius autem ex multis consideratis potest homo videre quid rectum sit, quam solum ex aliquo uno facto. Tertio, quia legislatores iudicant in universali, et de futuris: sed homines iudiciis praesidentes iudicant de praesentibus, ad quae afficiuntur amore vel odio, aut aliqua cupiditate; et sic eorum depravatur iudicium. Quia ergo iustitia animata iudicis non invenitur in multis; et quia flexibilis est; ideo necessarium fuit, in quibuscumque est possibile, legem determinare

1 S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, 96, 1.

2 Id., ib., 2m.

quid indicandum sit, et paucissima arbitrio hominum committere» '.

348 His praemissis, lex quae permetteret euthanasiam directam, determinabitne aegritudines insanabiles? dicetne: Cancro laboranti, etc., fas est praebere letale illud pharmacum? At, praeterquam gravitas aegritudinis multum dependet ex constitutione physica individui, aegritudines quae vel saeculo nuper elapso reputabantur insanabiles, hodie, contra, communiter sanantur. Plures ergo quae nunc temporis insanabiles pronuntiantur, sperare licet a medicis in posterum sanandae. Nec tamen ilico abrogabitur semel condita lex. Magnum ideo periculum inest legi quae ad particulares descenderet morbos signandos.

Ponamus ergo legem dari generaliori formula, scilicet «pro aegrotis insanabilibus quibus dolorosissima mors imminet». Quis sententiam dicet de morte inevitabili? medicus ordinarius, aut specialista? unus aut plures? iuniores qui didicerunt medicinae artem provectam tempore, aut seniores, qui in taliter aegrotis nullum experti sunt felicem exitum? Quot non essent, maxime in parvis oppidis, iudicia praecipitata timescenda! Ut omittamus indicia illa quae, in magnis civitatibus, posset medicus ferre vel timens ne imperitus existimetur dum se prodit imparem sanando, vel affectus taedio erga aegrotum, vel ductus cupiditate lucri, etc.

349 Neque facilior est praenuntiatio de doloribus qui dicuntur mortem praecedere et comitari. Intensitas doloris mensuratur condicionibus personae potius quam ipso morbo: sunt qui acriter conqueruntur de dolore minimo, sunt qui in infinitum exaggerant quos ipsi aut proximi dolores experiuntur. Quoties non praefert delicatus homo magis mortem subire quam chirurgicam operationem hodie perfacilem! Peracta tamen operatione gaudet ipse-

» Id., ib., q. 95, a. 1. 2m.

met, atque minoris iam dolores aestimat quos pridem dicebat insupportabiles. Porro qui de facili hallucinatur in metiendis doloribus, quomodo poterit comparationem instituere debitam inter malum doloris quod timet et malum, quod non timet, mortis anticipatae? Si autem ipse nequit consilium praevium instituere, quis erit valor consequentis consensus, dandi tamen de morte acceleranda? Difficultas quoque persistit si iudicium de dolorum acerbitate deferatur medicis'. Quae videntur etenim signa doloris intensissimi, frequenter nihil sunt aliud nisi motus reflexi. Magni quoque cruciatus iniectionibus quibusdam non mortalibus deminui possunt.

Denique, si lex umquam permetteret ut aegrotis pharmacum letale praeberetur, huius administratio non esset medicis committenda. Iam animadvertit D. Thomas occisionem, quamvis iustam, malefactorum non a clericis exercendam esse, quod «ministerium clericorum est in melioribus ordinatum quam sint corporales occisiones, scilicet in his quae pertinent ad salutem spiritualem» s. Pariter dicendum est de medicis: hi sunt destinati in salutem aegrotantium, non in ipsorum mortem; sunt destinati ad vitam protrahendam, non abbreviandam. 350

i «Dr. Guilelmus Osler bene perpendit modum moriendi quingentorum ex suis aegrotis, et testatur quadringentos eorum nullum manifestasse dolorem tempore extremi momenti, nonaginta manifestasse dolores, undecim angorem, duos verum terrorem, unum excitationem passum fuisse, unum patefecisse suae conscientiae cruciatus» (Antonelli, *Medicina Pastoralis*, II, p. 130. ed. 1932).—Ipsemet auctor, a quo nonnulla mutuati sumus, animadvertit: «Errores circa prognoslm sunt communes. Doctor Cabot voluit inquirere quae esset peritia medicorum in America septentrionali in diagnosi peragenda; et potuit sectionem agere 3000 cadaverum, quae recepit cum diagnosi peracta singulorum; et invenit 40 % fuisse erratas... Si diagnosi est errata, quae poterit esse prognosis?» (l. c. p. 133 s.).

î S. Thomas, l. c., II-II, 64, 4, 2m.

351 C. II.—In quorundam medicorum coetu haec allata sunt argumenta pro euthanasiae directe occisivae (346) liceitate: quod ordinetur nempe in bonum finem—vitare dolores atrocissimos—, quod non laedat caritatem in aegrotos—utpote qui conscii pharmacum letale postulare dicantur—, quod iustitiam, denique, non offendat—nam si lex est profecto iusta quae iubet malefactores occidi violenter, a fortiori quae permetteret aegrotos volentes interficere.

Sol.—In euthanasia directe occisiva, quantumvis ob misericordiam vel pietatem in eum qui insanabilis est et acerbis doloribus afficitur, acceleratio mortis est volita in se, ut scilicet morte accelerata moribundi vel aegroti dolores minuantur. Finis profecto bonus, qui tamen non iustificat medium, occisionem innocentis (I, 128).

Quod aegrotus conscius medicinam letalem petat non reddit occisionem caritati consonam. Postulat enim caritas, non modo ut ipsimet vitemus malum culpae propriae, sed ut vitemus insuper, pro posse, morale atque physicum malum proximi. Prohibemur igitur caritate ne condescendamus proximo in peccato et ne cooperemur abbreviationi vitae unde proximus destitueretur opportunitate et dolendi de peccatis commissis—de suicidii igitur desiderio—simul ac de opportunitate satisfaciendi pro poena illis peccatis debita et merendi sibi aeternae gloriae augmentum.

Si societas, denique, bono communi noxios etsi invitos potest licite occidere, potestatem huiusmodi in commune bonum obtinuit, cui innocens seu aegrotus non nocet (III, 121 ss.). Nec dicat aliquis lege civili permittenda minora mala ut peiora vitentur, quem ad modum licite toleratum fuit meretricium ut caverent cives ab adulterio. Nam

praeterquam nec fornicatio propterea quod non puniebatur fuit ideo licita, oporteret prius determinare in quo consistat malum maius quod permissione euthanasiae vitaretur: hoc enim malum oportet sit sociale, cui cives teneamur sacrificare personale commodum; at nullum malum sociale vertitur in discrimen ubi totum quod vitare intendit lex de qua sermo concluditur intra terminos dolorum aegrotantis vel moribundi.

C. III.—Sunt mulieres quae via naturali parere nequeunt quibusque in partu alia via succurri nequit nisi sectione caesarea. Notum aliunde est non quamlibet mulierem operationem caesaream toties quoties erit necessarium, sine gravi periculo et damno, subire posse. Ideo gynecologi¹, inter quos Homerus, praecavere student talis mulieris graviditatem sterilizatione per tubarum ligationem, vel etiam alia incisione chirurgica; ipsis enim persuasum est non esse aliam viam ad arcendam graviditatem sufficienter securam. Homerus in huiusmodi casibus semper sterilizationem mulieris peragit; quod tamen excusat dicens se non velle nec peragere sterilizationem propter se seu ut finem, sed propter salutem matris seu ut medium et ideo eius sterilizandi actionem esse quidem voluntariam in se sed non propter se. 352

Sol.—Sterilizatio de qua in Casu est omnino directa. In terminologia namque theologorum (quam Sanctae Sedis documenta referunt) voluntarium directum seu in se id omne venit quod agens vult sive ut finem sive ut medium ad finem; ideoque complectitur non modo quod est volitum propter se sed et id quod est volitum in se, etiamsi propter aliud. In Casu autem Homerus vult et peragit sterilizationem ad impediendum partum, ut di-

¹ Gynecologus vocatur medicus qui studet feminarum vitiis atque morbis medendis habentibus originem in earum genitali systemate.

citur, mortalem. Sterilizatio igitur est directa, ad mentem theologorum et Ecclesiae

Neque excusari potest a peccato quasi bono totius corporis provideri aliter nequeat, nam periculum quod ponitur imminere feminae non oritur ex tubarum solutione sive expeditione nec ex vulvae arctitudine, sed ex activitate sexuali libera—quae secum fert praegnationem et partum et ideo sectionem caesaream plenam periculis².

Immo, etiamsi ageretur, prout Homerus contendit, sterilizatio dumtaxat indirecta, adhuc quae in Casu vertitur pronuntianda foret illicita. Nam dato, nec concessio, ligationem tubarum esse actum indifferentem, altera deest e condicionibus ad excusandam positionem causae cui duplex est effectus, bonus scilicet et malus; nam oportet ne effectus malus medium sit ad bonum (I, 159); sed in Casu non nisi per sterilizationem evitatur operatio caesarea sive mortis periculum—cuius signum evidens est quod si femina non esset vacatura generationi, Homerus operationem illam non perageret.

353 C. IV.—Landoaldus medicus ad sidera usque extollit novam recentemque methodum, quam *narcoanalysisim* ex graecae vocis fonte, scientificè appellant. Ipse censet

¹ Ad dubium: «An licita sit directa sterilizatio sive perpetua sive temporanea, sive viri sive mulieris». S. Officium respondit (21 febr. 1940): «Negative, et quidem prohiberi lege naturae» (AAS, 32 [1940], p. 73).

² Pericula caesareae operationis non sunt exaggeranda. Hodie enim constat sectiones huiusmodi, quantumvis repetitas, non adducere puerperis vitae discrimen. Sic ex recenti statistica comprooati sunt 130 casus in quibus, peracta caesarea operatione quater et ultra, non nisi duae parturientes mortuae sunt (*Theological Studies*, 18 [1957], p. 232). Videsis quoque ibi citata *Ostetrical and Gynecological Survey*, 11 augusti 1956, p. 521; *Journal of the American Medical Association*, 24 martii 1956, p. 1005.

³ Narcoanalysis consistit in iniectione moderata quorundam narcoticorum unde ponitur homo in statu inter somnum atque vigiliam medio et ideo expeditam habet memoriam et revelationem eorum quorum vigilans non meminit vel negaret notitiam, utilem tamen iudici vel medico.

narcoanalysisim valde aptam efficacemque ad curandos aut saltem mitigandos morbos mentis seu phraenaesthetics. Saepissime de his loquitur cum amicis, sustinens necessitatem multiplicandi loca seu cubicula medicalia (gabinetti), in quibus haec nova methodus exerceatur. Putat munus reipublicae esse hanc adhibere methodum in inquisitionibus iudicialibus ad veritatem detegendam; ita vitarentur (inquit) expensae, morae ac prolixitates processuales, necnon falsa iureiuranda reorum testiumque. Quin immo miratur quod Ecclesia ea non utatur et proponit ut in ecclesiasticis tribunalibus admittantur periti ad hunc finem electi.

Sol.—Landoaldus exaggerat imprimis efficaciam methodi, quae nondum est demonstrata: curat quidem vel minuit quosdam illorum morbos, non tamen omnes—fertur quod in dimidia parte casuum sit inefficax—; praeterquam est periculosa, nec propterea adhibenda ubi remedia innocua sint in promptu. Nec est cur multiplicentur loca illa medicalia: nam experimentum petit medicum competentem et probum et plures etiam postulat cautiones; porro nec facile habentur illi medici nec continuo adhibentur hae cautiones; adest ergo periculum in illis locis multiplicandis. Usus narcoanalysis in inquisitionibus iudicialibus civilibus dicendus est illicitus si fiat ad confessionem delicti vel extorsionem secreti—iniusta quoque poena si inde data vel aggravata sit—; licitus attamen si ordinetur ad gradum culpabilitatis definendum eius qui aliunde probatus est delinquens—ne maior poena imponatur ei—; expensae, morae et prolixitates processuales, necnon falsa iureiuranda reorum atque testium non possunt attribui omissioni novae methodi tamquam causae, sed tamquam occasioni—sicut et rei silentium—. Nec est mirandum quod Ecclesia non utatur hac methodo: Ecclesia agnoscit reo ius tacendi delictum ab eo commissum (can. 1743, § 1), nam leges humanae

non obligant ad actum heroicum—est autem huiusmodi pro reo confessio delicti ob quod graviter puniendus foret.

- 354 C. V.—Tiberius, medicus, psychoanalysisim¹ ita magni facit ut non modo invitet sacerdotes et religiosos ut adeant psychoanalyticas et horum quoque munere fungantur, sed velit etiam psychoanalysisi subiciendos quotquot ad sacerdotium vel religiosam vitam adspirant.

Sol.—Nuperum ad rem S. Officii monitum (15 iulii 1961), in quo legimus: «3) Clericis et Religiosis interdicitur ne munere psychoanalyticarum fungantur, ad mentem can. 139 par. 2. 4) Improbanda est opinio eorum qui autumant praeviam institutionem psychoanalyticam omnino necessariam esse ad suscipiendos Ordines Sacros, vel proprie dicta psychoanalytica examina et investigationes subeunda esse candidatis sacerdotii et professionis religiosae. Quod valet etiam si agitur de exploranda aptitudine requisita ad sacerdotium vel religiosam professionem. Similiter Sacerdotes et utriusque sexus Religiosi psychoanalyticas ne adeant nisi Ordinario suo gravi de causa permittente» 2.

- 355 C. VI.—Agnes a multis annis famulabatur dominae Catharinae, morbo canceroso afflictae, quae doloribus acerbissimis afficiebatur.

Medicus vero, postquam omnia experimenta tentavit in cura, sententiam suam dixit Catharinam destinatum iri morti dolorosissimae plus minusve proximae; praescribit igitur nihil aliud nisi medicinam veneficam ad dolores leniendos certa quantitate, simul monens famulam

¹ Psychoanalysis, supponens morbos quoscumque psychicos ex inhibitione libidinis procedere, causam morbi specificam vult detegere per spontaneam aegroti confessionem et inde remedium afferre absque religionis adiutorio.

» AAS, 53 (1961), p. 571.

ut attenta sit, ne quantitatem praescriptam plus duplo adhibeat, utpote letalem.

Quadam autem nocte, Catharinae dominae magis magisque doloribus lancinatae, Agnes orationes bonae mortis suggerit et ex pietate subministrat veneficam medicinam quantitate letali. Medico occurrenti et statum mortis constatant! Agnes lacrimis effusis declarat se, casuali errore, medicinae quantitatem duplo subministrasse.

Medicus Alipius cohibet dubia gravia exurgentia de Agnetis sinceritate et documentum mortis ita conficit ut famula a processu immunis servetur.

Sol.— De quo, imprimis, dubitavit medicus? Num quantitas letalis fuerit subministrata Catharinae errore casuali (prouti Agnes fatetur) aut potius ex industria quantumcumque misericordiosa. Sed ponamus medico constare, cum certitudine, hanc alteram agendi rationem; tenereturne Agnetem denuntiare? Non ex iustitia commutativa, cum ipse non officialis publicus sed testis sit qualificatus seu peritus; non ex caritate, cum eius silentium in nullius damnum redundare dixeris—non agitur de infirmaria, aliis periculosa, sed de famula quae et bene et male se habenti dominae ministrat—. An ex iustitia legali? Negative, si non detur civilis lex praecipiens denuntiationem ut procedatur inde contra auctorem delicti; nec propterea si civilis index, quod bona saltem fide et ex pietate, egit, Agnetem non puniet. Potuit ergo medicus documentum mortis sic conficere ut, sine mendacio quidem, Agnetem liberet a processu inutili et molesto. Eam enim egisse bona fide atque ex pietate facile videtur (I, 323).

Huc e superioribus volujninibus Casus accedant: Medicus frequenter peccans cum feminis aegrotis (I, 290); Declaratio pontificia de quarumdam operationum chirurgicarum illicite (I, 350); Ministrans medico operatio-

nem illicitam peragenti (II, 456 ss.); *quid quoad Sorores in hospitalibus* (II, 460); *Inventor unguenti pro sanando vel praeveniando morbo gallico* (II, 464); *Medicus quoad remedia adhibenda* (III, 48); *Medicus suppeditans medicamenta nonnullis ex aegrotis, ceteros relinquens propriae sorti* (III, 123 ss.); *Transplantatio renis vel cornuae oculi* (III, 159 s.); *Medicus revelans perditos mores coniugis intendentis divortium* (III, 278 ss.); *Medicus inveniens filium familias lue venereo infectum* (III, 283); *Medicus conscius aegritudinis eius qui vult vitam assecurare* (III, 284); *De radiaesthesiae usu pro morbis detegendis* (III, 406).

IX. MEDICORUM HONORARIA

Doctrina.

356 «Quae quis non tenetur alteri exhibere, iuste potest pro eorum exhibitione recompensationem accipere. Manifestum est autem quod advocatus non semper tenetur patrocinium praestare aut consilium dare causis aliorum. Et ideo si vendat suum patrocinium sive consilium, non agit contra iustitiam. Et eadem ratio est de medico opem ferente ad sanandum, et de omnibus aliis huiusmodi personis; dum tamen moderate accipiant, considerata condicione personarum et negotiorum et laboris, et consuetudine patriae. Si autem per improbitatem aliquid immoderate extorqueat, peccat contra iustitiam»^{*}.

Ius est ergo medico ut honoraria exigat pro suis ad aegrotos praestationibus.

Honoraria autem moderata id est iusta, secundum legem vel consuetudinem vel prudentum aestimationem.

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 71, 4.

Si lex ergo civilis stipendium determinat vel si existit tabella honorariorum, legi vel tabellae standum est (nisi constet eas esse iniustas); si nihil ibi determinetur, standum erit consuetudini loci, stipendio scilicet quod exigere solent probi medici eiusdem scientiae atque peritiae (331). Nonnulli medicis concedunt ut possit honoraria superiora petere pro altiori clientum condicione oeconomica; sed illorum ratio, meo iudicio, futilis (362 ss.). Si ius interdum habeat ad stipendii augmentum, hoc indicet clienti priusquam praestationem exhibeat, cum nemo censeatur ipsam velle rependere pretio inconsueto.

Caritas autem non raro imponit medico ut curam assumat aegrotantium pauperum mercede tenuiori quin immo et nulla. Tenetur enim gratuitum auxilium ferre, etiam cum gravi incommodo, iis qui in necessitate extrema versantur; sine gravi incommodo, ceteris. Quapropter ne plus petat a paupere quam hic pro propria condicione dare potest.

Inter abusus penes quosdam medicorum frequentes numeratur dicotomia, id est pars stipendii data medico qui ad se misit clientem. Ad quaestionem de huius praxis moralitate sic Ferreres: «Resp. 1.^o Certum est non licere medico qui clientem ad alium remisit, *exigere*, sive a cliente, sive ab alio medico vel chirurgo, aliquid ultra id quod ei cliens debet dare pro consultatione vel visitatione; secus ad restitutionem tenetur. Etenim remittere 357

1 «Advocatus qui numquam patrocinator pauperibus, etiam extra extremam necessitatem, peccat mortaliter, non solum si habeat volitionem numquam patrocinatori: nolo extra extremam necessitatem sine pecunia patrocinari pro pauperibus, sed etiamsi omissive se habeat, peccat mortaliter. Patet, quia dives condemnatur de mortali si non dat eleemosynam extra extremam necessitatem... Advocatus qui aliquando, non dico semel in vita, sed aliquoties patrocinator pauperibus, licet non semper patrocinetur, non est damnandus de mortali... Advocatus qui sine iactura sua sed solum verbo potest subvenire pauperi in gravi causa, si non faciat, omnino peccabit mortaliter» (Vitoria, in *II-II*, q. 71. a. 1, n. 7, ed. Beltrini de Heredia). Videsis quae diximus in vol. II, n. 316 ss.

clientem ad alium, quando ipse ei subvenire non potest, est pars ipsius officii, posita consultatione aut visitatione.—Resp. 2.^o Certum pariter est et corollarium praecedentis responsionis, chirurgum vel specialistam nihil posse exigere a cliente sibi ab alio medico remisso, ultra id quod legitime exigere posset si cliens directe (i. e. sine interventu alterius medici) ad ipsum recurret. Secus ad restitutionem pro excessu teneretur.—Resp. 3.^o Etiam ad restitutionem teneretur medicus qui, spe praemii adlectus, clientem ad chirurgum vel specialistam (vel ad balnea) remitteret, absque necessitate vel utilitate expensis faciendis ac molestiis subeundis proportionata. Esset enim causa iniusta damni ipsius clientis. Idem, proportione servata, dicendum est, si ad imperitum aut longe minus peritum remitteret, aut (sine gravi et iusta causa) ad eum qui graviora prae aliis honoraria exigere solet—Resp. 4.^o Devitatis omnibus quae in tribus prioribus responsionibus reprobata sunt, si chirurgus aut specialista aliquid liberaliter in signum gratitudinis dare vult medico qui clientem ei remisit, *non est contra iustitiam*, ideoque nec pro dante nec pro accipiente adest onus restitutionis. Medicus Surbled etiam in hoc casu dicit hanc praxim esse *minus honestam parumque medico dignam*¹, et certe negari nequit semper aliquod periculum adesse ne quis incidat in vitia de quibus diximus in tribus prioribus responsionibus» x.

C a s u s p r i m u s .

358 Blasius medicus ponit Raymundo confessario sequentia quaesita circa honoraria suarum praestationum medicarum:

1) Cum famam nactus sit in exercitio professionis

¹ Ferreres, *Th. Mor.*, II, 46, ed. 1932.

medicae, statuit tabellam altiorem aliis medicis, qua pauperiores arcentur a suis praestationibus. Aliquando quidam pauperior recurrit ad ipsum, simul gratuitatem petens adsistentiae vel dimidiatum pretium; at ipse nullam umquam voluit exceptionem admittere ob timorem amittendi famam, tam difficulter conquisitam.

2) Quotiescumque ad consultum vocatur, praetendit pro se compensationem duplo maiorem quam alii medici, et renuit tradere percentualem medico qui eum appellavit ad consultum.

3) Aegrotos, qui opus habent operatione chirurgica, mittit ad clinicas privatas, quibuscum pactum fecit de percentuali sibi remittenda, etsi eadem operatio iisdem fere condicionibus et probabilitatibus felicioris exitus fieri possit in publicis nosocomiis, in quibus expensae aegroti longe minores essent, ipse vero nequiret exigere partem utilis.

Quid respondebit Raymundus confessarius pro singulis casibus sibi subiectis?

Solutio

Ad Ium.— Supponimus famam Slash esse iuste aequi- 359
sitam, ob eius scilicet scientiam et peritiam, non ob notitias falsas vel exaggeratas in foliis periodicis, etc. Porro si adest tabella honorariorum lege vel consuetudine stabilita pro medicis paris scientiae et peritiae, Blasius stare debet huic tabellae (nisi certo iniustae). Si lex huiusmodi vel consuetudo nulla, aut eius scientia vel peritia non habeat similem, potest Blasius tabella statuere altiorem aliis medicis, non attamen pro libitu sed ad iudicium prudentum seu peritorum in arte medica, habita ratione servitii praestiti, laboris, distantiae, scientiae et experientiae—quae non solent excellentiores vel obtineri nisi post

multa studia et multas expensas vel conservari nisi per novos libros, ephemerides, instrumenta, experimenta, assistentiam congressibus internationalibus, etc., quae omnia multas expensas petunt— Dicerem tabellam excessivam quam medici excessivam pronuntiabunt, seu de qua medici ipsi scandalizabuntur.

Si tabella iusta stabilita, pauperiores arcentur a Blasii praestationibus, peccat quidem contra iustitiam Blasius si hae praestationes sint pauperioribus illis debitae, v. gr., ob assecurationem, cum agitur medicus mutualisticus; et peccat contra caritatem tum erga aegrotos, si ipse solus sit specialista in civitate, si eis non subveniat aliter, v. gr., in hospitalibus publicis, tum erga alios medicos quos agendo sua ratione cogit ut ipsi soli pauperibus subveniant, cum tamen praeceptum eleemosynae obliget omnes.

Peccat denique quando dum pauperior ad eum recurrit petens assistentiae gratuitatem vel dimidiatum pretium, ipse nullam admittit praestabilitae normae exceptionem: hanc enim admittere tenetur si pauperior ille sit in necessitate extrema, gravi, levi, et ipse ei subvenire possit in extrema etiam cum gravi incommodo, in gravi cum levi, in levi sine incommodo. Nec ab hac lege dispensatur ob periculum amittendi famam, cum neque omnis praestatio medica haberi possit ut temeraria, nec cum adest periculum quod Blasius timet deest quoque spes famam augendi.

360 *Ad Illum.*—Praetendens compensationem duplo maiorem quam alii medici quoties vocatur ad consultum, peccat contra caritatem si sit unicus medicus in civitate qui ad consultum vocari possit: eius enim praestatio necessaria, a qua tamen arcet pauperiores. Non peccat tamen contra iustitiam—dummodo eius scientia atque peritia sit duplo maior quam scientia et peritia aliorum medico-

rum—t at periculosum est si ipse duplum determinat pro suo libitu dum standum esset iudicio peritorum.

Renuens tradere percentualem medico qui ipsum vocavit ad consultum, male Blasius agit si pactum praecesserit, saltem implicitum (ex lege, consuetudine) tradendi percentualem; dummodo tamen hanc perceptualem medico illi dandam non exigit Blasius ab aegroto sive cliente ultra pretium quod exigit pro consulto. Si pactum non praecessit, Blasius non est carpendus, quoniam ista percentualis damnatur a pluribus medicorum associationibus quoniam valde periculosa; nec est debita medico appellanti, quippe qui tenetur consultum vocare si conscius est propriae vel ignorantiae vel imperitiae, et iam recepit honoraria sibi debita propter visitationem.

Ad Illum.—Male profecto agit dum aegrotos mittit 361 ad clinicas privatas, nisi declaret ipsis operationem fieri posse in publicis nosocomiiis cum eadem prorsus probabilitate exitus et hac facta declaratione aegroti malint operationi subiici in clinicis privatis.

Pactum denique de percentuali sibi remittenda est reprobandum si ad percentualem Blasio solvendam clinica auget pretium ab aegrotis, ob cetera servitia, postulandum; potest vero probari s' ipsa clinica solvat Blasio percentualem quin augeat pretium ab aegrotis solvendum.

A l i i c a s u s .

C. II.—Edistius, medicus, hunc morem servat cum 362 aegrotis qui ad eum confugiunt: si sunt communiter divites, eis imponit honoraria simplicia; si valde divites, ab eis honoraria exigit duplicata; si vero pauperes, nihil ab ipsis petit. Increpatus a confessario ob honoraria duplicata valde divitibus imposita, Edistius se excusat

quod hi, utpote qui superflua habent, tenentur solvere pro illis qui carent necessariis.

Sol.— Etiam si valde divites teneantur ad eleemosynam erga pauperes, nullum adest Edictio ius ut illos cogat ad eleemosynam hisce erogandam. Sic parentes tenentur baptizare filios, quin adsit nobis ius ut infidelium filios baptizemus parentibus invitis (cf. II, 128). Quod si pauperes inveniantur in extrema necessitate, in qua et furari licet (cf. III, 22G), eadem ratio qua excusaretur furtum imponit primo curam aegrotorum gratuitam.

363 *C. III.*— Rigobertus plurimam repetit pecuniam, honorariorum instar, pro operatione chirurgica exercenda in homine ditissimo; ait enim vitam plus valere ditissimo quam ei pecunia valeat.

Sol.— Etsi res valeat augeri pretio ob specialem affectum quem habet venditor erga rem, negavimus (339) speciale emptoris commodum titulum esse iustum ad rei augendum pretium. Pariter ergo, etsi vita sit ditissimo pretiosissima, non ideo medicus habet titulum ad augendum operationis honorarium. Nisi velimus dicere eum iure et merito exigere totam ditissimi pecuniam quod huic melius sit esse quam non esse.

364 *C. IV.*— Rigobertus obicit quod exercens operationem chirurgicam in homine ditissimo, se periculo exponit ne, in casu infelicis exitus, famam amittat acquisitam: viri enim ditissimi operatio est, ob nuntia saltem in periodicis foliis, toti fere civitati nota; sed famam esse dignam temporali pretio nemo dubitat.

Sol.— Huiusmodi argumentum retorqueri facile potest. Si enim Rigobertus discrimini committit famam suam dum operationem exercet in homine ditissimo ob tristem operationis exitum, pari quoque modo sperare potest famam augendam si operationis exitus sit prosper; adest

igitur sufficiens compensatio quin recurrat ad augmentum honorariorum. Exceptionem unam admitterem: si tam tenuis sit felicitis exitus probabilitas ut operatio, quae ab eo tentanda petitur, potius redundabit in dedecus quam in medici gloriam; tunc hic poterit augere pretium pro mensura damni quod passurus est ob diffidentiam et imminutionem clientium.

C. V.— Marcus et Marcellinus fratres, alter caecutiens 365 alter surdaster, per integrum annum Fulberium medicum consulunt, nullo profectu, sed magno dispendio. Ambo fratres queruntur de hac re Fulberio, sed Fulberius reponit ingentem fuisse omnino profectum curationis, siquidem impedivit ne cresceret infirmitas.

Sol.— «Fulberius quidem inquietandus non est ex multiplicatis consultationibus et consequenter ex honorario percepto, si reapse impedivit ne cresceret infirmitas. Dubium enim non est quod sint infirmitates humanis remediis omnino incurabiles. Si igitur Fulberius, cum vere non potuerit infirmitas expelli, eius progressum et incrementum impedivit, inutilem curationem non effecit, sed e contra valde utilem. Verum, nisi Fulberius infirmitatem rite cognoscat, et remedia etiam cognoscat utilia ad eam curandam, necesse est ut infirmos ad medicum peritiorum remittat». Sic Bucceroni

C. VI.— Seius medicus, qui diu curam Lambino, viro 366 diviti sed avaro, impenderat, frustra ab eo laboris sui mercedem postulavit. Qua re cum iterum in morbum gravem incidisset Lambinus, Seius, ab uxore aegrotantis accersitus, ire noluit. Sed mox, ubi audivit Lambinum absque ullius medici auxilio mortuum esse, timere coepit ne huius mortis reatum coram Deo contraxisset atque ad pedes confessarii provolutus veniam exoravit.

1 Bucceroni, *Casus Conse.*, I, 95, ed. 1913.

Sol.—Ad hunc casum Genicot: «Graviter peccavit Seius, si novit et attendit eo tempore quo ipsius auxilium petebat, nullum esse alium medicum sive in eo loco, sive in loco vicino, qui tempore opportuno ad Lambinum invisendum accedere posset: defuit enim gravi obligationi succurrendi proximo in extrema necessitate versanti. Neque ullo gravi incommodo ab hac ope ferenda excusatur: non enim certum est eum etiam nunc mercede cariturum esse, siquidem si moritur Lambinus (ut saltem probabile est) habebit ius privilegiatum ad laboris sui compensationem ab heredibus obtinendam. Immo, etiam si mercede carere debeat, hoc incommodum nequaquam sufficere existimamus ut liberetur ab officio quod, ob instantem necessitatem, gratis praestare debeat aegroto qui cuilibet mercedi tribuendae impar sit» \

X. MAGISTRORUM OBLIGATIONES

Doctrina.

367 Prae muneris susceptione, oportet sint competentes in disciplina quam debent tradere et in arte ipsammet tradendi. Saepius ab eis exigitur laurea vel examen, titulus academicus, iuramentum, etc.

Semel suscepto munere, munia magistrorum distinguamus ante lectiones, in lectionibus et post lectiones. Ante lectiones, debent se praeparare ut apte doceant, horarum numerum (lege vel contractu determinatum) non minuere, pretium seu stipendium non exigere maius iusto (ad statuta vel consuetudinem). In lectionibus, duo oportet habeant semper prae oculis, scilicet quod «in

1 Genicot, *Casus Conse.*, 475, ed. 1928

actu docendi invenimus duplicem materiam... Est siquidem una materia ipsa res quae docetur; alia vero ille cui scientia traditur» \ Ex primo capite, sancte servent programmata, vitando quaestiones inutiles, discernendo verum a falso et id tradendo ut magis veri simile quod sibi tradendum auctoritative commendatur, ut mox dicemus. Ex capite altero, doctrinam accomodent auditorum captui, horum problemmata benigne audiant, errores emendent et progressum pro viribus promoveant, vigilando ut servetur scholae ordo, corrigendo et, si necessum fuerit, puniendo, iuste tamen atque discrete, immo et expellendo illos qui forent ceteris perniciosi; simul autem atque doctrinam tradit, sit magister discipulis cunctis in exemplum, quos non modo non avocet a virtute sed in hanc insuper promoveat. Denique, post lectiones, servent in experimentis seu examinibus normas iustitiae tum in quaestionibus proponendis tum in iudicio vel examinis nota decernenda, abstinendo ab acceptione personarum et a severitate, simul attamen ac vitando lenitatem seu indulgentiam quae foveret alumnorum pigritiam et noceret salutari scholarum efficientiae.

Quod ad falsam doctrinam attinet, eam magistros tradere contingit falsitatis conscios vel inscios. Si quidem conscii, peccarent, proculdubio, mendacio. Hoc autem, prout D. Thomas, animadvertit², si sit contra res divinas, contrariatur caritati ad Deum, cuius veritatem magister mendacio occultat vel corrumpit—et ideo huiusmodi mendacium opponitur non modo veracitati sed fidei et religioni, quapropter est gravissimum et mortale—; si autem sit circa aliquid aliud cuius tamen cognitio pertineat ad bonum hominis, v. gr. ad perfectionem scientiae et informationem morum, tunc huiusmodi mendacium contrariatur caritati ad proximum et est igitur mortale

1 S. Thomas, XI *de verit.*, 4.

3 Id., *Summa Theol.*, H-II, 110, 4.

peccatum; si, denique, versetur circa id quod non refert utrum sic vel aliter cognoscatur, tunc non habemus mendacium perniciosum, nec, ex parte materiae, peccaminosum graviter. Si autem magister falsum doceat ob eius ignorantiam, peccat quidem dum ignorantia est voluntaria—circa ea nempe quae scire debeat—et peccat praesumptione si de ignotis sententiam ferat, de iis maxime in quibus periculum existit¹; sed etiam cum bona fide errat, magister non habet ius errorem spargendi (I, 186).

Magistri, denique, quoquot docent in scholis catholicis, cum et ius et officium habeant ab Ecclesia, debent servare normas pro ipsis ab Ecclesia definitas (264, 267). Unde S. Pius X: «Id autem peculiari quodam studio praestabunt Christianae philosophiae sacraeque theologiae magistri, qui quidem probe meminisse debent non idcirco sibi factam esse potestatem docendi ut sua opinionum placita cum alumno displicent seu communicent, sed ut iis doctrinas Ecclesiae probatissimas impertiant»².

Casus primus.

369 Aelius, puerorum magister, ad caelum extollit illam educationis methodum, quae a domina *Montessori* nomen accepit, ita ut omnia praecepta huius methodi adamus-sim observet. Eidem vero contradicit Parisius, et ipse puerorum magister, dictitans non omnia philosophica principia, quibus haec methodus innititur, acceptari posse (e. gr. lex biogenetica, bonitas originaria puerorum, etc.); nec omnes methodi didacticae actuationes irreprehensibiles esse (v. gr. coeducatio, neutralitas in religione, appellatio tantum ad alumni conscientiam in re-

¹ S. Thomas, 3 de malo, 7.

² Pius X, M. P. *Doctoris Angelici* (29 iunii 1914; AAS, 6 (1914), p. 338.

bus ethicis, etc.). Ideoque Aelium reprehendit qui coeducation! (agitur de scholis mixtis) favet ultra petita, e. gr. in iocis inter pueros et puellas sat evolutas.

Quaeritur:

- 1) Quid de novis methodis educationis, quas «novam scholam» appellant.
- 2) Quid ad casum.

Solutio

Ad Ium.— «Nova schola» vult: *a)* puerum, potius quam 370 educationem recipere, educare seipsum—eius educatio est eius evolutio spontanea—; ponatur ergo in conditionibus congruis seu favorabilibus simul atque longe removeantur eius spontaneae evolutionis obstacula; et relinquatur sibi—ei permittendo plenam spontaneitatem in modo agendi et reagendi, vitando quascumque constrictiones externas—, detur illi omnimoda libertas initiativae; *b)* magistri observent pueri necessitates, instinctum et tendentias, puerum protegant contra repressionses inscie forsitan impositas ab aliis, provideant ut homo, virtualiter contentus in puero, erumpat ex viribus ipsius pueri, hunc adiuvent donec perfecte evolvatur, non ei imponant ideas proprias vel traditiones; *c)* quapropter magistri iuxta parvulum stent prope quem adiuvent, eius locum occupent, eum contentur dirigere, non auctoritate, sed fiducia, quapropter ipsum ne corripiant, vituperent, etc.

Haec igitur schola nullam rationem habet tum peccati originis tum vulnerum ex illo provenientium, nullam rationem habet religionis; viribus naturalibus contenta,, tota naturalisme imbibitur. Nec inculcat pueris necessitatem disciplinae, auctoritatis, oboedientiae vel sacrificii; quapropter favet egoismo et vitae facili. Tamen omnis

lex positiva—divina et humana—venit ab extrinseco, ipsa quoque fides; oportet hominem vocatum in societatem assuefieri luctae, Christianum maxime mortificationi; indigemus ope tum aliorum hominum tum Dei praecipue. Denique contra educationem naturalisticam Pius XI: «Neque oblivisci unquam licebit Christiane educandum totum esse hominem, nimirum in unam naturam per spiritum et corpus coalescentem omnibusque animi et corporis partibus instructum, quae vel a natura proficiscuntur vel ipsam excedunt, qualem demum ex recta ratione et ex divinis oraculis cognoscimus» \

371 Unam ex his scholis domina Montessori instituit, quamvis non omnia teneat ex praedictis. Pro ipsa, schola est domus puerorum, in qua pueri se sentiant oportet plene liberos, quin obstaculum inveniant ullum propriae autoeducationi; magistri sint ut matres, agentes per persuasionem ita ut puer ipsemet sibi disciplinam imponat uti bonam sibi. Admisit quoque religionem sive educationem Christianam, quam tamen voluit dumtaxat iuxtapositam. E contra Pius XI: «Tota institutio ac doctrina, scholae ordinatio tota, nempe magistri, studiorum ratio, libri, ad quamvis disciplinam quod pertinet, Christiano spiritu, sub ductu maternaque Ecclesiae vigilantia, sic imbuti sint ac polleant, ut religio ipsa totius instituendi rationis cum fundamentum tum fastigium constituat» 3.

372 *Ad Illum.*—Aelius profecto exaggerat in laudibus et observantia praedictae methodi. Etsi namque non infitiamur plura esse bona in hoc et similibus educationis systematibus, non attamen omnia probanda sunt³. Parisius

1 Pius XI. enc. *Divini illius magistri*, 31 dec. 1929; Denz. 2212.

2 Id. ib.; Denz. 2220.

3 «Huc fere pertinet, quae nostris temporibus palam proferuntur, variis quidem nominibus, doctrinae, quarum est totum ferme cuiuslibet educationis fundamentum in eo ponere, ut pueris integrum sit sese informare ipsos ingenio atque arbitrato plane suo, vel repudiatis maiorum prae-

ergo iure contradicit respuens quaedam scholae illius principia et nonnullas methodi actuationes.

In principiis citantur lex biogenetica et puerorum originaria bonitas. Porro lex biogenetica—ad quam omnia stadia vel formae individui sunt repetitiones seu reproductiones stadiorum seu formarum antecessorum eius; aut formae quas embryon in sua evolutione percurrit, inde a semine usque ad statum perfectum, sunt merae reproductiones formarum quas eius species transierat—, videtur negare responsabilitatem puerorum, quasi quas habent a parentibus inclinationes pravas vincere non possent disciplina. Ad rem Pius XI: «Profecto *stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinae fugabit eam* (Prov. 22, 15). A pueritia igitur voluntatis inclinationes, si pravae, cohibendae, sin autem bonae, promovendae sunt, ac praesertim puerorum mens imbuatur doctrinis a Deo profectis et animus divinae gratiae auxiliis roboretur oportet»¹.

In illius methodi actuationibus reprehensibiles a Parisio indicantur coeducatio, neutralitas religiosa, appellatio ad unam conscientiam alumni et ludi inter pueros

ceptorum consiliis omnique lege atque ope humana et divina prorsus posthabita. Quae tamen omnia, si suis finibus ita circumscribantur, ut novi huiusmodi magistri velint adolescentes in suam ipsorum eruditionem eo magis propriam quoque operam atque industriam conferre, quo plus aetate et rerum cognitione progrediantur, itemque ut a puerorum educatione omnis vis atque asperitas removeatur, quam nihilominus iusta correctio non redolet, verum id quidem, at minime novum, cum id ipsum Ecclesia docuerit et Christiani praeceptores, more a maioribus tradito, retinuerint» (Pius XI. l. c.; Denz. 2213).

¹ Pius XI, l. c.; Denz. 2212.—«Omnis via et ratio educandae iuventutis, quae labis a protoparentibus ad omnem posteritatem transmissae divinaeque gratiae rationem nullam aut vix ullam habet, proptereaque in solis naturae viribus tota nititur, a veritate prorsus aberrat.. In eo autem isti homines graviter errant, quoa nativam humanae naturae fragilitatem non agnoscunt neque legem illam membris nostris insitam, quae, ut verbis utamur Pauli apostoli, mentis legi repugnant» (Id., ib.; Denz. 2213 s.).

et puellas sat evolutas. Sed «coeducatio, quae proprie vereque dicitur, generaliori modo et per se probari nequit» quoad neutralitatem religiosam, iam alias (II 104, 106) satis, quem ad modum et de appellatione ad solam conscientiam, quae si admitti nequit penes adultos etiamsi sinceros atque probos (I, 6 ss.), a fortiori non est admittenda penes parvulos—nisi velimus dicere in his et integritatem originalem et conscientiae evolutionem potiores esse—; quoad ludos, denique, inter pueros et puellas satis evolutas, neminem latet quam hi sint pueris et puellis periculosi², unde et in laudata Instructione S. C. de Religiosis: «Studiose curetur ut iuvenes utriusque sexus invicem separentur... in lusionibus»³.

A lii casus.

374 C. II.—Evodius, certaminum gymnycorum praeceptor, saepe advocatur in quandam scholam, ut puellis, a duodecim ad sexdecim aetatis annos, in gymnycis exercitiis assistat. Saepe animadvertit nonnullas puellas exercitiis gymnycis operam dare indumentis omnino immodestis,

» S. C. de Religiosis, 8 dec. 1957; AAS. 50 (1958), p. 100.—Haec Instructio data fuit a S. C. de Religiosis post collata consilia cum S. C. Consistoriali, S. C. pro Ecclesia Orientali, S. C. Concilii, S. C. de Propaganda Fide et S. C. Seminariorum et Universitatum (ib., p. 99).—Iam pridem Plus XI: «Aequae fallax atque Christianae educationi infensa illa adolescentibus instruendi ratio habenda est, quam vulgo coeducationem appellant» (l. c.; Denz. 2215).

³ «Usu quotidiano didicimus, iuvenes prae aliis in turpia saepius incidere non tam ob mancam cognitionem, quam ob Infirmam voluntatis Illecebris obnoxiae atque divinis auxiliis destitutae... Eiusmodi praecepta (separationis utriusque sexus), ad Christianae prudentiae praescriptum, tempestive atque opportune servanda sunt non modo in scholis omnibus, praesertim per trepidos adolescentiae annos, unde totius ferme futurae vitae ratio omnino pendet, sed etiam in gymnycis ludis atque exercitationibus, in quibus Christianae peculiari modo modestiae puellarum cavendum, utpote quas ostentare se atque ante omnium oculos proponere summopere dedecet» (Pros XI, l. c.; Denz. 2214 s.).

« S. C. de Religiosis, l. c.; p. 103.

infra ipsas mensuras a societatibus gymnificis statutas ac praescriptas. Cognovit quoque a moderatoribus scholae puellas illas ibi exerceri etiam in gymnificis ludis feminis nocivis, ut ex. gr. in sic dicto *salto in alto*, in ipsa iaponica lucta, etc. Evodius haec omnia scholae moderatori obicit, qui respondet vestes, a nonnullis dolose breviores redditas, tolerari posse, cum agatur de ludis internis (Evodius tamen scit abusus inveniri etiam in certaminibus gymnificis publicis); exercitia autem, quae ipse exprobaverat, a medicis admissa esse. Silet Evodius, qui reputat se omnia fecisse, quae poterat ipse, ad abusus vitandos; ceterum officium relinquere non posse, cum indigeat labore ad familiam suam sustentandam. Occasione tamen praecepti paschalis res huiusmodi confessario exponit. Quid ei dicendum?

Sol.—Duo sunt apprime distinguenda: id quod Evodius animadvertit dum internis exercitiis gymnificis, advocatus, assistit—nonnullas nempe puellas uti indumentis prorsus immodestis—et id quod novit aliunde—puellas scilicet eisdem uti vestibus in certaminibus publicis atque exerceri in ludis nocivis feminis—. Quoad alterum non est cur Evodius noster scrupulis turbetur: cum ipse non sit scholae moderator, satis profecto fecit dum quos abusus novit denunciavit moderatori; eo vel magis quod hic ostendit voluntatem firmam illos abusus permittendi, quorum uni favere dicit permissio medicorum et alteri favere dixeris silentium tum parentum puellarum tum auctoritatis publicae—de publicis enim certaminibus hic agitur—. Sed nec quoad primum: ad scandalum namque activum puellarum—quo se alliciunt mutuo ad amissionem saltem instinctivi pudoris—Evodii cooperatio est negativa: non enim abusum illum iubet, consulit, etc., sed dumtaxat non impedit (II, 452 s.); sed nec impedire tenetur se exponens discrimini officium amittendi quo ad familiam sustentandam indiget (II, 394). An eius assis-

tentia pronuntianda sit scandalosa quasi aequipolleret aprobationi puellarum immodestiae? Sed hoc scandalum satis superque vitat si propriam declarat displicentiam, a fortiori si denuntiationem moderatori factam (II, 396).

375 C. III.—Nostris hisce diebus in publicis scholis nonnullarum nationum introducta fuit educatio civica, quae vocatur. At Nicholaus sacerdos, qui in gymnasio-liceo lectiones tenet religionis, novam materiam parvipendit ut inutilem et pleonasticam. Iure aut iniuria?

Sol.—Praemittamus hanc novam disciplinam ideo introductam ut alumni praeparentur ad vitam collectivam seu communitariam et se postea inserant, plene ac sponte, in societatem civicam; illos ergo, plenioribus traditis notitiis de historia patriae, de constitutione national!, de iuribus et officiis civitatis atque civium mutuis, etc., conatur promovere ad bonum commune cogitandum, promovendum, fovendum, in ipsis efformans responsabilitatem sociale, sensum cooperationis et virtutes politicas. His praemissis, possemus plaudere Nicholao qui, docens religionem, novam hanc disciplinam putat inutilem: si quidem, uti dixerat Pius XI, «catholicus veri nominis, a catholica quidam doctrina instructus, hoc ipso optimus civis, cultor patriae, publicae auctoritati sincera fide obstemperans» \ sicut et ipsi supra (II, 311) diximus caritatis ad proximum praeceptum praecepta omnia iustitiae continere. At Nicholaus deberet primo petere a seipso quot sint catholici veri nominis, catholica doctrina vere instructi; non enim soli magistri religionis verum et theologi dum de iustitia commutativa agunt longe atque late, de iustitia legali breviter et concisse. Non est igitur nova disciplina parvipendenda, quasi inutilis et pleonastica, cum practice sic increverit innatus egoismus

» Pius XI, 1. c.: Denz. 2221.

ut civium plurimi societatem reputent fontem beneficiorum, non vicissim et officiorum terminum, volentes e bonis societatis ditiores fieri quin eius umquam necessitatibus pro viribus subveniant \ Enthusiasm© potius civica quae educatio dicitur recipienda atque tradenda est, ut sensim sine sensu cives iam a pueritia efformentur optimi 9.

C. IV.—An sacerdoti liceat scholarum mixtarum 3 376
 alumnis catholicis, sive intra earum septa, sive alio, v. gr. in ecclesiam, ad id convocatis fidei Christianae documenta speciatim tradere, aut pro eis Capellani quovis munere fungi.

Sol.—Huic quaestioni, propositae occasione scholarum mixtarum quae per totam fere Helvetiam perniciem rei catholicae minabantur, respondit S. Officium (21 martii 1866): «Affirmative, et ad mentem; mens est ut non modo fidei Christianae tradendae, verum etiam aliarum disciplinarum scholis quotquot fieri potest praefici sacerdotes, aut honestos perspectaeque religionis laicos curandum sit; quo vero omnis cesset scandali formido, monendum esse populum id fieri ut mala quae ex huiusmodi scholis dimanant, quantum fieri potest, avertan-

1 Laudavit D. Thomas (*Summa Theol.*, II-II. 47, 10, 2m) veteres romanos, de quibus Valerius Maximus: «Malebant esse pauperes in divlte imperio, quam divites in paupere imperio»

a «Ad hoc quod aliquis sit bonus politicus, requiritur quod amet bonum civitatis... Amare autem bonum alicuius civitatis contingit dupliciter: uno modo, ut habeatur; alio modo, ut conservetur. Amare autem bonum alicuius civitatis ut habeatur et possideatur, non facit bonum politicum; quia sic etiam aliquis tyrannus amat bonum alicuius civltatis ut el dominetur; quod est amare seipsum magis quam civitatem; sbl enim Ipsi hoc bonum concupiscit, non civitati. Sed amare bonum civitatis ut conservetur et defendatur, hoc est vere amare civitatem; quod tonum politicum facit: intantum quod aliqui propter bonum civitatis conservandum et ampliandum, se periculis mortis exponant, et neglegant privatam bonum» (S. Thomas, *Q. D. de caritate*, a. 2).

« Dicuntur *mixtae* quae patent etiam acatholicis.

II
|
I
t
I
i
J
|

tur; idque proinde nemini excusationi esse debere, quominus liberos suos mittant ad scholas mere catholicas, in quibus eorum fides ac mores nullo modo periclitentur» \

377 C. V.—Telephorus, in schola neutra magister, petit a confessario num sibi liceat libros nocivos explicare.

Sol.—Respondet Mare: «Magistri, in schola publica neutrali docentes, nequeunt ex seipsis libros nocivos introducere et explanare. Quodsi tales libri ex officio imponantur, simulque praevideant resistantiam fore inutilem, debent necessario sic praelegere, ut antidotum efficax discipulis propinent, vel melius ea sola praelegant quae innoxia essent» 3.

378 C. VI—Bonifacius, germanicae linguae peritissimus, rogatur ut eam doceat pueros cuiusdam scholae religioni prorsus adversae. Munus accepit, cum aliud invenire non posset et speraret se mala ex illa schola oriunda minuere posse.

Sol.—Ad hunc casum Genicot: «Illicite egit Bonifacius dum *munus professoris* in tali schola suscepit. Etenim si educandi ratio et moderatorum mens aperte adversantur seu cuilibet religioni, seu saltem Ecclesiae catholicae, inanis est illa spes minuendi mali inde secuturi. Quid enim unius professoris influxus contra reliquorum omnium conatus malumque alumnorum spiritum valebit? Eo vel magis quod Bonifacius noster positivum conatum ad Christianum spiritum promovendum omittere cogetur, ni velit omnium animos contra se concitare. Neque generatim excusabit ratio: nullum aliud munus professoris invenire posse. Excepto enim casu

1 *Collectanea S. C. de prop, fide*, I, 1286, ed. 1907.

2 Marc, *Inst. Mor.*, T, 716, ed. 1927.

summae inopiae, in quo quandoque huiusmodi munus suscipi possit donec alia ratione gravissimae necessitati provideri queat, non sufficit grave incommodum ad excusandam cooperationem quae magnum scandalum praebet, dum is qui se catholicum profitetur adeo nefariae institutioni proxime cooperatur (quam scii, deinceps plures minus abhorrebunt), et saepe ipsum cooperantem periculo perversionis exponit» \

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Alumnus qui falsas doctrinas professoris tenetur exponere in examine (II, 40); Magistri in scholis communistarum (II, 127); Ludimagister facile iratus pro servanda scholae disciplina et nesciens servare animum tranquillum in alumnorum correptione (III, 566 ss.).

XI. DIURNARIORUM OBLIGATIONES

Doctrina.

Diurnarium dicimus eum qui scribit in ephemeride 379 sive folio periodico³. Cum scripta huiusmodi completantur doctrinam et notitias³, aliae sunt obligationes diurnariorum articulos exarantium et aliae diurnariorum eventus evulgantium.

Qui conscribunt articulos tenentur, instar ducum opinionis publicae, ad fundamentalia munia magistrorum (cf. 367 ss.); quae quidem munia illos eo magis ur-

1 Genicot, *Casus Conse.*, 129, ed. 1928.

2 Diurnarii nomen latius patet, ad eos scilicet qui divulgant eventus ope *radii* vel etiam *televisionis*.

• De imaginibus et venalium rerum copiosis nuntiis, quae in ephemeridibus et foliis periodicis locum obtinent momentosum, egimus in vol. II, nn. 408 ss., 464, 489 ss., 497.

gent quo numerosiores habent discipulos, id est lectores. In his officiis, veritas praecipuum l.

Hi vero qui eventus quotidianos referunt, specialibus adstringuntur normis quoad illorum tum explorationem tum divulgationem.

380 Explorare namque facta alterius occulta licet nemini absque proportionata causa—quilibet enim ius habet ut secretum suum vel sibi servet vel eis communicet quibus voluerit—; a fortiori licet nemini mediis iniustis uti ad alterius secretum detegendum—cum non sint facienda mala ad obtinendum finem quamvis optimum—. Fas est, contra, ubi proportionata causa intersit, media adhibere licita quibus facta alterius occulta detegantur—dominus enim secreti nequit tunc dici rationabiliter invitus—; sic licet patri atque praelato de occultis filii vel subditi criminibus inquirere, ipsum ut corripiant; licet durante bello, etiam Statui et auctoritati civili litteras sive civium sive ad cives legere et auctoritati militari explorare iustis mediis positiones et vires hostium.

Etiam salva iustitia potest quis peccare contra carita-

1 «La qualité principale du journaliste reste toujours un amour incorruptible de la vérité. Cependant combien de tentations essaient de vous en écarter: tentation venant des intérêts de parti et peut-être de la presse elle-même pour le compte de laquelle vous travaillez. Comme il peut être difficile d'y résister et de respecter les limites que la véracité interdit absolument de franchir!... Ensuite, tentations de la part de l'opinion publique, ou plus exactement des opinions du public, que le journaliste ne peut suivre sans réserves, lui qui précisément doit les ajuster à la vérité et au droit, et dont les aurifier et les guider» (Pius XII, alloc, d. 12 mai 1953; AAS. 45 [1953], p. 401).—«Facere non possumus quin eos peculiari modo ad veritatem diligenter, caute prudenterque proponendam adhortemur, qui libris, commentariis, diariisque editis, quorum hodie tam magna copia est, tantopere conferunt ad civium, iuvenum praesertim, mentes edocendas educandasque, ad eorum efficiendas opiniones moderandosque mores. Gravissimo Udem officio tenentur non mendacia, non minus recta, non turpia propagandi, sed vera solummodo, sed ea potissimum, quae non ad vitia, sed ad probe facta ad virtutemque conducant» (Ioannes XXIII, enc. *Ad Petri Cathedram*, AAS, 51 [1959], p. 500).

tem, aut quia proximum facile despiciet quem vitiosum tanget, aut quoniam huius turbat quietem animi, videntis se ab aliis observatum quasi improbum aut de improbitate saltem suspectum¹; unde et Silvius superiores monet ne per cautelam nimiam subditos diffament aut ad amaritudinem perducant².

Sed consequens evulgatio vitiorum detectorum pluribus periculis est exposita. Adest quidem privatis defensionis ius contra aggressorem, formaliter aut materialiter, iniustum; et ideo, quando quis ob falsam eius bonam famam est nobis noxius, possumus eius occultum crimen revelare iis per quos deceptos nocet nobis —sic potest accusatus revelare iudici occultam improbitatem accusatoris (III, 257) cuius sic infirmet testimonium—; quando quis ob falsam eius bonam famam est nocivus tertio, possumus occultum eius vitium revelare tertio cui nocet—sic possum aegroto revelare insipientiam occultam medici quem arcessere cogitat—; quando quis ob falsam eius bonam famam committit discrimini societatem, possumus occulta eius scelera pandere vel societati, cui immediate nocet, vel iis per quos deceptos nocet civibus. At tunc quoque cum agitur defensio iusta, facile quis transgreditur inculpatae tutelae moderamen —aut quod damnum evitandum diffamatione non sit proportionatum damno diffamationi adnexo, aut quod ipsamet diffamatio ad plures, vel defectus vel auditores, porrigatur quam necesse sit—. Diurnarius insuper, dum facta recitat omnino vera, facile suggerit, reticentiis puta ac insinuationibus, eorum interpretationem sinistram³;

¹ S. Thomas. *Summa Theol.*, II-II, 167, 2, 3m.

² Silvius, in II-II, 60, 4.

³ «Who does not know that a journalist can deliberately falsify facts. or by lifting them out of their context can distort their meaning, or can suppress truth that in justice clamours to be heard?» (Pius XII, alloc. d. 23 ianuarii 1960; *Discorsi e Radiomessaggi*, XI, p. 361).

contingit quoque ut praeceps modo asserat certum quod subinde deprehendet commentitium¹; neque semel tentabitur ut id faciat publici iuris quod promisit secreto commendare² vel quod extorsit mediis iniustis³.

Est autem nimis evidens periclitari bonum vel privatorum vel commune ubi diurnarius hoc quoscumque scopolos sollicitus non caveat. A fortiori vitare debet sordidam calumniam⁴.

Casus primus.

382 Hyacinthus, diurnarius, rescivit Helenam, iam in ludis scenicis percelebrem, illegitimis ortam esse natalibus. Eam notitiam apprehendit clam, consulens librum baptizatorum, quem parochus, eius avunculus, servat in archivio paroeciali.

Si nuntium tradatur ephemeridi, in qua Hyacinthus operam suam impendit, animadvertit ipse magnum successum (vulgo *coipo giornalistico*) esse futurum, ex quo ipsius quoque diurnarii fama magnum commodum habebit. Non enim eius opera nunc magni aestimatur, et

¹ «Diurnarius ideo nequit se temerarie possibilitati tradi denegandi vel reprobandi postea quod antea asseruerat, nimis fidens in subsequent! rectificatione, quia ipse certus esse nequit rectificationem ad cognitionem eorum adveniri, qui pridie nuntium rei habuerint. Quam ob rem debet quam maxime intra extremos limites securitatis veritatisque se continere». (Ita cl. Palazzini, in Palazzini, *Casus Conse, de praecipuis professionibus*, p. 72).

² Causas quae reddunt licitam secreti commisi manifestationem videbis in vol. III, η. 264.

³ «Notetur... illicitum esse crimen occultum manifestare, cuius notitia iniuste acquisita fuerit, alienas litteras v. g. iniuste legendo; nisi in praesentibus adiunctis iam aliquis haberet lus tali medio utendi, in casu privatas litteras aperiendi» (Merkelbach, *Th. Mor.*, H, 429, ed. 3).

♦ «But what shall We say of deliberate falsehood and calumny? A lying tongue, like hands that shed innocent blood, the Lord hateth; and every just man detests a lying word. Calumny is quickfooted, as you know» (Pius XII, alloc, d. 21 iulii 1945; l. c., VII, p. 125 s.).

serio timet ne a moderatoribus ephemeridis dimittatur, quin aliam occupationem tunc praesto habeat.

Verum an sibi liceat nuntium communicare dubitat, attentis intima nuntii natura et modo quo id consecutus fuit. Pergit itaque ad confessarium, eius consiliis obsecundare paratus.

Quid ei dicendum?

Solutio

Quamvis liber baptizatorum non sit in archivio secreto, debet attamen parochus vitare ne ad extraneorum manus perveniat (can. 470, § 4). Hyacinthus igitur male egit illum librum clam consulens. Et si quidem eius consultatio fieri potuit ex mera curiositate, tenetur secreti obligatione quandiu notitiae divulgatio sit damnosa Helenae nec ratio proportionata huic inferendo damno intercedat. 383

Estne vere damnosa? Defectus natalium, quo tempore Helena nata fuit, erat (supponamus) factum publicum: omnes qui matrem noverant, hanc sciebant non esse coniugatam. Sed defectus huiusmodi, publicus tunc in loco, potest totaliter ignorari in regione et regionibus ubi modo est Helena perceleber. Si defectus ille divulgatur, Helena amittet bonam famam, non quidem artisticam, verum personalem \ Si enim ponas nuntium evulgari inter homines quibus defectus natalium nihil habet ignominiae, tunc nec locus erit illi magno successui (*copo giornalistico*) quem Hyacinthus ambit

1 «Grave erit, si quis virum honestum boni nominis, vel magnae auctoritatis, prodat esse mendacem, bibulum, illegitime natum, etc.; inde enim ei grave nocumentum famae oriri potest» (Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 1012, ed. 1939).

384 Quaestio igitur: adestne proportionata causa pro dif-
famatione excogitata?

Affirmative prorsus, si Helena ob falsam qua gaudet bonam famam esset periculosa sive civibus sive communitati. Verum haec non est ratio cur Hyacinthus divulgare cupit secretum.

Ratio est alia, quod exinde videlicet eius opera magni habebitur et ita servabit sibi officium, a quo si dimittatur aliam occupationem difficile obtinebit. Agitur ergo de uno impediendo malo privato, ipsius nempe Hyacinthi.

Sed, abstractione facta a condicione necessaria, num videlicet Hyacinthi lucrum compenset satis Helenae ignominiam, mali quod Hyacinthus sibi pertimescit non potest Helena dici causa; aliis verbis, non ideo ille dimittetur a diurnarii munere quia haec filia legitima aestimatur. Ergo Helena non se habet erga Hyacinthum instar aggressoris, saltem materialiter, iniusti. Hyacinthus igitur nequit uti iure defensionis.

Confessarius ergo respondeat consulenti evulgationem nuntii esse illicitam \

A l i i c a s u s .

385 C. II.— Cum multi cupiant omnes noscere circumstantias criminum, praecipue passionum, ut dicuntur, Largus qui editionem curat ephemeridis momentosae, petit a confessario num sibi liceat acta cuncta civilium tri-

1 Ad hunc eundem casum cl. Palazzini: «Si res publici iuris faceret, dupliciter peccaret et quidem graviter contra iustitiam, quia ius Helenae ab bonam famam violat secreto utendo illicite et dolose detecto... Peccaret quoque contra pietatem in avunculum parochum, qui cum nepoti nimiam libertatem dedisset invisendi domum paroecialem et libros reservatos, a proprio Ordinario puniri posset, cum rem rescivisset (can. 2383)» (Apud Palazzini, l. c., p. 76).

bunaliū producere et commentare; sunt enim, inquit, publica de facto, saltem de iure.

Sol.— Quantumcumque tribunaliū civilium acta dicantur publica de facto, saltem de iure, non ideo illorum evulgatio in ephemeride vacat periculo, nam lectorum castitas et dignitas exponuntur discrimini vivida enarratione tot circumstantiarum; haec enim enarratio, necessaria iudicibus, est superflua lectoribus ephemeridis. Ideo, prouti quorundam librorum lectio permittitur censoribus officialibus, quae vetatur ceteris, ita non oportet evulgentur communiter omnia quae in tribunalibus proferuntur x.

I

C. III.— Philoromus, e diurnariorum coetu, explorat et 386 divulgat occulta vitia et crimina politicorum hominum, ea ratione ductus quod ipsorum notitia necessaria sit tum civitati, cuius damnum vitetur, tum civibus, quorum votum exquiritur in electionibus.

Sol.— Recte quidem Philoromus quandiu de vitiis et criminibus agitur quorum detectio atque evulgatio bono communi postuletur; minus attamen recte si de ceteris sermo. Hinc Tanqueray: «Si magistratus munere publico fungentes actus iniustos etiam occulte committunt, bonum publicum postulat ut isti actus divulgentur, ut ita a novis iniustis actibus deterreantur. Tempore electionum, licet occulta crimina candidatorum, quae eos indignos reddunt a munere publico, manifestare, tum quia id postulat bonum publicum, tum quia candidati publicum munus ambientes eo ipso permittere censentur ut

1 «Puô essere lecito che di punto in bianco si gettino alia cupidigia della curiosità particolari e descrizioni, che dovrebbero essere riservate alia polizia scientifica ad alia magistratura? E' mai lecito che de ogni fatto criminoso, su cui meglio sarebbe gettare un velo pietoso, si tragga occasione per descrizioni e ricostruzioni che non sono altro che scuola di delitti e incentivo al vizio?» (Ioannes XXIII, alloc, d. 8 dec. 1959; AAS, 52 [1960], p. 48).

eorum dignitas vel indignitas divulgatur. Non licet autem ea manifestare vitia quae ad bonum publicum non conferunt» x.

387 C. IV.—Theodorus, periodici folii proprietarius, contendit licitum esse explorare et evulgare occultam malitiam privatorum, quod nemini sit ius ad falsam famam bonam et is qui vel occulte malum agit dignus sit infamia.

Sol.—Ius ad bonam famam etsi falsam omnes Auctores tribuunt illi qui apparet bonus, aut quod ipsa civis civitasque indigent, aut quod meremur et demeremur apud homines actibus qui innotescunt hominibus (III, 249). Ideo, si infamia sumitur qua vindicta, uni iudici competit: principis est enim iudicare discrimen totius ex malitia partis et subtrahere consequenter de bono partis propter bonum totius; punitionis igitur instar, privatus non habet ius diffamandi proximum; si faciat, peccat contra iustitiam, prout peccaret si reum occideret morte dignum. Si tamen diffamatio importat defensionem contra aggressorem, formaliter aut materialiter, iniustum, tunc quidem ius est singulis ut defendant se, defendant innocentem, defendant maxime societatem. Sed haec quoque defensio licita oportet intra limites inculpatae tutelae cohibeatur.

388 C. V.—Tharacus, qui cuiusdam catholicae ephemeridis directionem sumpsit, hos suos timores parochi submittit: «Nisi detur catholicis diurnariis amplissima libertas in quotidianis eventibus tum detegendis tum evulgandis, ephemerides nostrae sustinere nequeunt ceterarum competitionem».

Sol.—Parochi responsionem praebet Merkelbach:

1 Tanqueray, *Th. Mor.*, III. 358, ed. 1931.

«Catholicis scriptoribus tam ampla facultas est facienda quam lex moralis sinat, si seria adsit ex parte acatholicorum concurrentia. Id facile fiet pro foliis maioribus. Sed *a)* non tam facile est admittendum pro minoribus et localibus, aut pro periodicis; *b)* nec semper folia adversa sunt revera timenda; *c)* atque etiam non semper necessarium erit indicare personarum nomina: possunt enim facta narrari omissis nominibus, aut solis eorum litteris initialibus indicatis, si timeatur crimen divulgandum ubi nondum sit notum; atque ita faciendum est, nisi tamen certo ab aliis sit divulgatum» \

C. VI.—Aegerrime fert Priscus diurnariorum generalem praxim, eos dumtaxat aut praecipue divulgandi eventus qui peccatum redolent, homicidia scilicet, suicidia, crimina passionalia, furta aliasque iniustitias. Potior enim civitatis pars probis civibus constat qui vitam gerunt tranquillam et honestam quique insignia praebent exempla fortitudinis, patientiae, iustitiae, castitatis et amoris ad proximum; de quibus attamen raro in foliis periodicis fit verbum.

Sol.—Praxis illa explicari potest ideo quod ab assuetis non fit passio; quapropter si diurnarii satagunt lectorum excitare attentionem, ad ea maxime vel tantum deflectunt divulganda quae sunt insolita; narrantes igitur facinora paucorum, testimonium ferunt de virtute plurimum. Sed huiusmodi testimonium multos lectores latet; qui propterea facile putant totum genus hominum corruptum et ideo amittunt fiduciam erga superiores et erga proximos, necessariam attamen in vita sociali tum pro oboedientia tum pro convictu. Neque vacat praxis illa scandalo: prava enim exempla, si ab iis proveniunt maxime qui ob auctoritatem, artem vel ingenium celebran-

tur, apta sunt quae imitationem captent debilium; sic igitur narrentur ut non modo ab eorum approbatione vel excusatione absteineat diurnarius sed positive conscium reddat lectorem illa evulgari ut cognoscantur atque cognita reprobentur.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedant: Ephemeridi pravae collaborans (II, 496); Revelatio defectuum animi vel corporis naturalium (II, 258); Curiosus de factis aliorum (III, 592).

XII. SENATORUM OBLIGATIONES

Doctrina.

Senatores dicuntur membra Senatus, alterius scilicet Camerae quae una cum Parlamento obtinet in democraticis civitatibus potestatem legiferam \

Legitime electi tenentur, ex iustitia legali, munus acceptare, si tamen idonei sint nec rationabiliter excusentur.

Suscepto munere obligantur ex iustitia commutativa ad bonum publicum promovendum, materiale, civicum, culturale, morale et religiosum, tum opportunis legibus tum denuntiatione et coercitione abusu atque iniustitiarum quae forsitan patrantur in republica².

¹ Quod ad clericos attinet, cf. n. 137, 143.

* «Itaque per quos civitas regitur, primum conferre operam generatim atque universe debent tota ratione legum atque institutorum scilicet efficiendo ut ex ipsa conformatione atque administratione reipublicae ultro prosperitas tam communitatis quam privatorum efflorescat. Id est enim civilis prudentiae munus, propriumque eorum, qui praesunt, officium. Nunc vero illa maxime efficiunt prosperas civitates, morum probitas, recte atque ordine constitutae familiae, custodia religionis ac

Debent propterea scire quis sit finis et quid bonum reipublicae, quaenam sint iura Ecclesiae, quae relatio hanc inter et Statum, quaenam obligationes huius erga illam.

Debent studia conferre circa ea de quibus habent discutere et decernere; ideoque consilium petere a peritioribus. Tenentur sessionibus interesse atque suffragium ferre pro legibus iustis et contra iniustas; excusantur quidem si ex eorum absentia vel suffragii omissione non sit timendum damnum—v. gr., quia praevident praesentiam vel suffragium futurum esse inutile—, quin tamen excusentur ob ipsorum privato, quantumvis gravi, incommodo, nam agitur commune bonum quod, non modo est praeponendum proprio, sed et incumbit ipsis ex officio.

Cavere debent maxime ab acceptione personarum, ne 391 scilicet ob humanum respectum, utputa erga Ministros, vel ob commodum politicae factionis cui adhaerent, damnum inferant communi bono vel votum conferant sententiae aut legi iniquae.

Legem intrinsece et prorsus malam approbare non possunt, sed tenentur votum adversum ferre, aut—si fructus nullus inde speratur—abstinere a suffragio. Sed legem minus rectam licebit approbare ad vitanda peiora mala; facta tamen protestatione de approbationis sensu et motivo. Si lex agatur contraria libertati vel iuribus Ecclesiae, eam approbare nequeunt sine Ecclesiae consensu \ cuius est iudicare quid sibi conveniat in adiun-

iustitiae, onerum publicorum cum moderata irrogatio, tum aequa partitio, incrementa artium et mercaturae, Horens agrorum cultura, et si qua sunt alia generis eiusdem, quae quo maiore studio provehantur, eo melius sunt victuri cives et beatius» (Leo XIII, enc. *Rerum Novarum*; *Acta*, XI. p. 120 s., ed. 1892).

l «Excommunicatione latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservata plectuntur: 1.® Qui leges, mandata, vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt» (can. 2334).—Occasione separationis

ctis. Quod suffragium bona dederunt fide legi iniustae revocare tenentur; si revocatio iamiam impossibilis, tenentur tum, pro damno vitando, damnificandum monere ut sibi provideat, tum, pro vitando scandalo, suam agendi rationem retractare.

Casus primus.

392 Emirenus, reipublicae senator, cum nova Constitutio Status perficeretur, faciliter laicistis concessit ut abrogaretur primus antiqui Statuti articulus, in quo religio catholica tamquam Status religio habebatur.

Ita egit, quia ipse retinet meliorem condicionem relationum inter Ecclesiam ac Statum esse absolutam separationem, prout invenitur in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis.

Confessarius, cui hunc agendi modum fassus fuerat, respondet Statum catholicum in suo gubernio non debere vel ullo modo posse a religione abstrahere, sed omnibus viribus illam tueri ac promovere debere, nam Status catholicus absque religione concipi nequit. Quapropter Emirenum senatorem valde increpat ac redarguit; eidemque onus pro posse reparandi imponit.

Quaeritur:

- 1) Quid de novis ideis ab Emireno enuntiatis.
- 2) Quid ad casum.

Ecclesiae et Status gallici, S Paenitentaria ad dubium: «An Deputati et Senatores Galliae qui votis suis legem Separationis, ut aiunt, constituerunt, subiaceant ipso facto excommunicationi latae sententiae», respondit (30 mail 1908): «Affirmative» (ASS, 41 [1908], p 612).

Solutio

Ad Ium.—Non sunt ideae novae sed ideae ac postulata 393
 Liberalismi, qui contendit auctoritatem civilem vel so-
 cialem neutquam obligari ad suscipiendam revelationem
 divinam, etsi sufficienter propositam, sed neutram ma-
 nere posse inter veram et falsas religiones.

Iam in Syllabo Pii IX damnatae fuerant hae propo-
 sitiones: «Ecclesia a statu statusque ab Ecclesia seiun-
 gendus est. Aetate hac nostra non amplius expedit reli-
 gionem catholicam haberi tamquam unicam status reli-
 gionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis» (Denz.
 1755, 1777). Inde Leo XIII monuerat: «Nequaquam licere
 petere, defendere, largiri, cogitandi, scribendi, docendi,
 itemque promiscuam religionum libertatem, veluti iura
 totidem quae homini natura dederit» (Denz. 1932). Etiam
 S. Pius X hunc, inter errores modernistarum, numerat:
 «Status ab Ecclesia dissociandus, sicut etiam catholicus
 a cive» (Denz. 2092), atque in damnationem legis gallicae
 de separatione edixit: «Civitatis rationes a rationibus
 Ecclesiae segregari oportere, profecto falsissima, maxi-
 meque perniciosa sententia est» In eodem sensu abun-
 dat Pius XII*.

Hanc quaestionem egregie evolvit Card. Ottaviani in 394
 sua acroasi (2 martii 1953) ad universitatem Lateranen-
 sem 3, quam ex parte hic transcribimus:

1) Status uti corpus sociale tenetur ad professionem
 socialem religionis. Homines, non modo ut individua, ve-
 rum ut membra societatis quoque, subduntur Deo, qui

1 ASS, 39 (1906). p. 5.

2 Videsis eius allocutiones «Ci riesce» (AAS, 45 [1953], p. 794 ss.) et
 «Vous avez voulu» (AAS, 47 [1955], p. 672 ss.).

2 Ottaviani, *Doveri dello Stato Cattolico verso la Religione* (Libre-
 ria dei Pont. Ateneo Lateranense, Roma, 1953).

non est dumtaxat auctor et gubernator singulorum, sed et conditor atque conservator societatis. Prout homini individuo non licet omittere officia sua erga Deum, sic nec Statui; prout individuus homo tenetur religionem amplecti qua Deus vult coli, sic et Status pariter x.

2) Status Moderatores tenentur suam rationem agendi et legislandi ad principia moralia religionis instituere. Si enim subduntur Deo—cui debent et honorem et oboedientiam—, tenentur conformare praeceptis Dei quidquid agunt, etiam uti Status Moderatores.

3) Moderatores eorum Statuum quorum maxima pars est catholica tenentur pro viribus defendere unitatem populi religiosam. Leges enim dantur in bonum commune; nequeunt igitur Moderatores ferre leges in favorem religionis paucorum inde si damnum immineret fidei atque conscientiae maioris partis. Si ipsi Moderatores sint (uti praesumitur) catholici, iniuria, concederent religioni falsae iura quae uni conveniunt verae religioni.

4) Absoluta igitur separatio non potest retineri optima condicio relationum inter Ecclesiam et Statum catholicum. Verum Ecclesia admittit eas interdum circumstantias esse in quibus catholici Status Moderatores subsint necessitati tolerandi (legibus) et permittendi (praxi), ob rationes nempe gravissimas, ceteros cultus. At tunc quoque oportet illos servare tutum atque tectum principium: religionem catholicam esse solam Status religionem; quapropter ne permittatur illa omnimoda erro-

1 «Homines enim communi societate coniuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli: neque minorem, quam singuli, gratiam Deo societas debet (Leo XIII. enc. *Immortale Dei* 1 nov. 1885; *Acta* eiusdem. 5. p. 122, ed. 1886).—«Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum agnoscat necesse est. atque eius potestatem dominatumque vereatur et colat. Vetat igitur iustitia, vetat ratio atheam esse, vel, quod in athelsmum recideret, erga varias, prout loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eademque singulis iura promiscue largiri» (Id., enc. *Libertas*, 20 iunii 1888; *Acta*, 8, p. 231, ed. 1889).

ris propagatio quae facile decipiet cives simplices—permittatur cultus privatus, non vero publicus.

Ad Illum.—Confessarius iure quidem pleno Emirenum 395 increpat ac redarguit. Quoniam Emirenus non distinguit inter nationem catholicam et acatholicam, v. gr. inter Italiam atque Status Foederatos Americae Septentrionalis. Explicet ergo ei quadruplex illud caput catholicae doctrinae ad quod plene se accommodet pro futuro.

Anteactum excusaturne bona fide? Sed communiter episcopi loquuntur in his rerum adiunctis; quare eos non audivit? quare saltem consilium a peritioribus se non petiit, v. gr. a parochis? Agebatur enim bonum commune, independens ab optima quoque fide operantis. De reliquo haec quae notatur circumstantia «faciliter laicistis concessit» bonam fidem excludere videtur.

Iure quoque confessarius imponit Emireno reparationis onus, pro posse. Imprimis reparandum certo est scandalum. Quoad alia damna, reparatio difficilior, forsitan et impossibilis. At licet nequeat facere ut lex semel lata aboleatur, poterit tamen, pro opportunitate, verae religioni favere in comitiis quoque Senatus.

Alii casus.

C. II.—Quattuor illa catholicae doctrinae postulata 396 quae a confessario audivit (394), Emirenus data occasione refert Cantidiano, in Senatu contubernali. Qui tamen obicit: Status nec iudicare valet de facto revelationis—non igitur tenetur veram agnoscere religionem—, nec praecipere potest contra conscientiam subditorum—ergo si nonnulli cives acatholici, nequit officialem constituere unum cultum catholicum.

Sol.—Status non valet de revelationis facto iudicare auctoritative; at satis est si iudicet secundum sensum

communem de motivis credibilitatis—ita nec valet indicare auctoritative de ethicae naturalis veritatibus; tamen secundum sensum communem admittit liberum arbitrium, responsabilitatem, proprietatis ius aliaque plura, quae interdum a philosophis theoretice denegantur—. Status, insuper, etsi nequeat praecipere contra subditorum conscientiam veram, potest attamen contra erroneam: sic vel illi qui reiciunt proprietatis ius possunt cogi a Statu ut ita agant ac si ius agnoscerent, qui opponunt objectionem conscientiae obligari possunt qui bellum gerant (II, 351 s.), qui non admittunt fornicationis malitiam possunt a Statu prohiberi quominus publice fornicentur x.

397 C. III.—Pegasius in Senatus comitiis propterea favendum tenet cultuum libertati quod Ecclesia sibi aperte contradicat dum, libertatem petens a Statu non-catholico, libertatem denegat in catholico Statu

Sol.—Nulla est in Ecclesiae ratione agendi aperta contradictio. Cum Deus etenim hominibus praeceperit determinatum cultum, Ecclesia non potest approbare cultus ceteros; ideo in Statu catholico, in quo valet suo iure uti, exigit ut ille unus cultus agnoscat. In non-catholicis, contra, Statibus, in quibus non agnoscuntur iura Dei, petit ut agnoscantur saltem quae ibidem proclamantur iura hominum². Sic et privati cives, cum de-

1 Cfr. Garrigou-Lagrange, *De revelatione*, II, p 449 ss., ed. 1931.

2 «Contra illos qui libertatem cultuum proclamant, et tamen Ecclesiam vexant, eamque prohibent quominus libere exerceat proprium cultum, hoc modo (ad hominem) argumentamur: Aut libertas cultuum est admittenda ut verum principium sociale, aut secus. Si admittenda est, ergo iniuste et irrationabiliter prohibentur catholici quominus illa libertate fruantur; si autem secus, ergo non nisi per solemne mendacium cultuum libertas proclamatur. Quae sane argumentatio recta est et adversarios perstringit: unde et Ecclesia ipsa catholica eam non dedignatur, sed eam urget ut iura suae libertatis defendat» (Zigliara, *Summa Philosophica*, Ius naturae, n. 66, ed. 1926).

fendere valemus bona nostra, refugimus transactionem sive compositionem; hanc tamen ibi admittimus cum ab illis tutandis praepedimur.

C. IV.—Abudemius confessario pandit bis in Senatu 398 suffragatum fuisse legi iniustae; semel quidem ex pactio-
ne seu conspiratione cum ceteris politicae factionis senatoribus, quorum numerus in comitiis praevalens; iterum, absque conspiratione seu condicto, cum ob eius favorem lex tot suffragia obtinuit quot simpliciter necessaria erant approbationi. Confessarius in utroque casu obligat Abudemium ad damnorum, ex iniqua lege provenientium, compensationem.

Sol.—Optime confessarius. Nam in utroque casu Abudemius, simul cum aliis, exstitit totius damni causa efficax; quapropter singuli tenentur absolute quidem pro rata damnificationis (seu de toto damno omnes simul), condicionate vero in solidum (id est de toto singuli, si ceteri non compensent partem propriam).

C. V.—Gerasimus se in confessione accusat quod, pro- 399
posita Senatui lege iniusta, ipse, absque conspiratione, suffragium tulit legi favorabile, sed approbationi supervacaneum, nam facta votorum enumeratione perspicuum fuit legem obtinuisse maioritatem, proprio etsi dempto. A confessario acriter obiurgatus, Gerasimus petit num ad damnorum compensationem sit adstrictus.

Sol.—Recte increpatur a confessario noster Gerasimus, cum iniquae legi suffragatus iniquitati certo consenserit. Sed num exstiterit efficax causa damni et ideo ad restitutionem sit adstrictus, Auctores non concordant. Communius enim distinctio fit prout suffragia simul data fuerint (v. gr. assurgendo, manum elevando) aut potius successive: si quidem simul, tenentur omnes in solidum de damnis (320); si vero successive, aut vota data fuerunt

secreto (per schedulas secretas) aut publice (utputa, viva voce): si secreto, plures obligant quotquot dederunt votum favorabile, aut pro rata damnificationis aut pro rata dubii; si autem publice, plures eximunt a restitutione eos qui suffragium dederunt post completum numerum necessarium—nisi aut votorum superabundantia causa fuerit cur lex sanctionem obtinuerit regis seu potestatis exsecutivae, aut vota fuerint revocabilia nec tamen revocata—. Alii, contra, quorum sententiam Billuart probabiliorem dicit², cuique Vermeersch³, atque Prümmer¹ favent, omnes omnino, absque distinctione, obligant ad damnum reparandum, quod hoc non fiat suffragiis sed decreto vel lege, collationem votorum subsequent!.

400 C. VI.—Theodardus, e senatorum collegio, petit a confessario num peccet et ad restitutionem damnorum teneatur si suffragium non fert quod ferre posset.

Sol.—Ad rem Fanfani: «Senatores, deputati, publici consilarii, quibus ex officio incumbit suffragium tempore debito ferre, si sine iusta causa, et ex gravi negligentia aut falso timore a suffragio ponendo abstinent, aut tempore votationis absunt, quando praevidere possunt silentio huiusmodi grave damnum bono publico aut alicui

¹ «In dubio an suffragium quis dederit post completum numerum sufficientem suffragiorum, tenetur restituere, saltem pro rata et mensura dubii, quia, licet non certo causaverit damnum, certo tamen causavit incertitudinem auctoris damni, quatenus effecit ut, ob excedentem numerum suffragiorum, aliqui non sint certi qui in solidum restituere teneantur; et ita iam deteriore fecit condicionem illius qui damnum passus est. in ordine ad damni reparationem» (Merkelbach, *Th. Mor.*, II. 313. ed. 3).

- Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. de iure et iustitia, diss. 8. a. 13. 5 4).

> Vermeersch, *Th. Mor.*, II. 664, ed. 1928.

♦ Prümmer, *Th. Mor.*, II, 105n, ed. 1928.

civium cetui imminere, graviter peccant et ad restitutionem in quantum est possibile obligantur» x.

Huc e superioribus voluminibus Casus accedat: Reipublicae senator cuius suffragium petitur pro vetando culto religioso in fabricis (II, 319).

XIII. NOTARIORUM OBLIGATIONES

Doctrina.

Notarius dicitur is qui conficit publica instrumenta 401 quae in iudicio et extra iudicium fidem faciunt³.

Eius obligationes notissimo versu comprehenduntur: «Expertus, fidus, diligens Notarius esto».

Expertus quidem, sive callens notitia illorum quae ad officium spectant. Peccat igitur si ex ignorantia non recte conscribat acta seu instrumenta, praetermittens puta sollemnitates iure necessarias.

Diligens quoque, qui instrumentorum non protrahat expeditionem, absque iusta causa, qui ministris suis invigilet ne scripturas perperam conficiant, qui instrumenta confecta sive a ministris sive ab aliis notariis, priusquam subscribat ipse, recognoscat, qui accurate custodiat quae commissa sunt eius custodiae.

Fidus, denique, tum in voluntate contrahentium vel auxilium eius petentium fideliter scriptis redigenda, v. gr. falsos excludens testes, non scribens testamentum hominis destituti rationis usu, non praebens per ambiguas formulas ansam litibus, monens partes de clausulis quarum omissio ipsis nocere potest, non multiplicans paginas

i Fanfani, *Th. Mor.*, II. 354.

a De notariis ecclesiasticis, cf. can. 372-374, 503.

scripturae ut exigit inde maius stipendium, non postulans laboris pretium ultra taxam vel probatam consuetudinem, parti legitime petenti paratus exhibere acta et documenta, pecuniae apud se depositatae non differens vanis prorsus pretextibus restitutionem debitam; tum maxime in secreto servando professionali, quod obligat prae commisso privato, ideoque prae promisso, a fortiori prae naturali, et ideo dicitur secretum rigurosum (ΠΙ, 274 ss.).

- 402 Quod attamen non urget: 1) si praesumi potest rationabiliter consensus committentis; 2) si res aliunde nota et divulgata sit; 3) si immineat damnum publicum, nam in publicum bonum fuit ipsummet susceptum; 4) si immineat damnum grave vel secretum committenti vel secretum servanti vel tertio innocenti, saltem si tertio huic innocenti quod damnum imminet sit iniustum ab eoque immineat qui secretum commisit, ita videlicet ut committens secretum sit iniusto aggressori aequiparandus.

Verum etiam cum revelatio secreti venit licita non continuo pronuntianda est obligatoria: non enim tene-mur proximo succurrere inde si nos incurrimus parem indigentiam; porro, quod soleant hodie vim secreti professionalis cives immo et civiles legislatores exaggerare, contingit secretum licite revelantes amittere fiduciam eorum qui consilia petunt, seque exponere amissioni officii aliisve poenis lege comminatis.

Casus primus.

- 403 Mortuo Eusebio, qui nullum testamentum reliquit, magna quaestio exagitur inter Eduardum et Vinicium, filios legitimos Eusebii, et Aedgarium. Qui ultimus, praetendens se filium naturalem esse Eusebii, et documentum

recognitionis, iam a patre exaratum, a filiis legitimis destructum esse, enixe vindicat partem in hereditate.

Sive Eduardus et Vinicius, sive Aedgarius adeunt notarium Remigium, quem omnes sciunt amicissimum Eusebii; primi ut ab accusatione destructionis praetensi documenti recognitionis se eximant, ultimus ut testem, si possit, inveniatur suae recognitionis, oretenus a patre promissae.

Remigius revera possidet documentum recognitionis, quod tamen ex Eusebii iussione ostendere non potest, nisi mortua Eusebii uxore, Lina, quae inter vivos adhuc numeratur; anceps itaque manet utrum secreto professionali magis teneatur quam motivo caritatis erga Aedgarium, et consilium sacerdotis Gervasii, amici sui, expetit.

Quodnam in casu Gervasius consilium praestare debeat?

Solutio

Duplex, ni multum fallor, est hypothesis: iussionem dilationis quoad ostensionem documenti Remigius accepit quatenus notarius aut quatenus amicissimus defuncti. 404

Si dumtaxat quatenus amicissimus, moneatur a sacerdote Gervasio ut documentum recognitionis statim proferat, quoniam differens prolationem usque ad uxoris mortem non poterit probare se sic egisse ex mandato defuncti potius quam motu proprio, ne dicam ob animum aversum in filium naturalem; amitteret tunc fiduciam eorum qui eius petunt consilium vel auxilium et se exponeret discrimini valedicendi officio atque poenis a lege civili comminatis subiaccendi.

Si vero iussionem dilationis accepit Remigius ut notarius, monendus est potius a Gervasio ne documentum recognitionis modo proferat, sed post uxoris mortem

dumtaxat. Ex hac etenim dilatione nullum imminet damnum publicum. Nec damnum privatum quod imminet filio naturali ob secretum commissum a defuncto potest dici damnum iniuste illatum, quoniam Eusebius non tenebatur agnoscere filium naturalem eique portionem donare hereditatis; ad plurimum immo modernorum Codicum disciplinam inquisitio paternitatis prohibetur (III, 483, 485). Ergo Eusebius licite poterat apponere conditionem recognitioni Aedgarii; apposuit autem, differens ad mortem usque uxoris ostensionem confecti documenti.

405 Ad quamvis non proferat modo documentum, suadeat Remigius fratribus litigantibus compositionem aequam. Patri cum fuerit amicissimus potest profecto adducere filios quidem legitimos ut admittant tamquam valde probabilem documentum recognitionis existentiam, quod venire potest in lucem; filium pariter naturalem ut advertat documentum ad leges exaratum non facile venisse ad manus illorum quorum interest eius destructio et ideo recognitionis documentum, oretenus promissum, probabiliter numquam conscriptum fuisse.

A lii casus.

406 C. II — Caius et Titius, soli heredes, committunt rem componendam notario; sed huic privatim Titius secreto ostendit legatum testatoris in favorem Sempronii. Teneaturne notarius de hoc legato silere?

Sol.—Si notarius fuisset ab ipso testatore constitutus testamenti exsecutor, tunc quidem teneretur eius exsequi postremam voluntatem; nec poterat impediri ex secreto Titii, quod nec suscipere liceret contra suum officium. At in adiunctis notarius non fuit a testatore designatus testamenti exsecutor—non enim testator, sed heredes sunt clientes notarii—; secreto igitur professionali adstrictus, abstinere tenetur a monendo tum Caio tum Sempronio.

Nec dicas quod in hoc casu damnum fit Sempronio ab ipsomet qui secretum commisit (402); nam iactura gratuiti doni, probabiliter non ita magni, non videtur sufficiens damnum ut praeponderet legi de secreto. Ita Genicot

C. III.—An teneatur notarius ad restitutionem erga 407
fiscum si in conficiendo instrumentum venditionis aut inventarii, postulantibus partibus (ipso etiam insinuante), non verum rei pretium inscribat, sed aliud minus, ut tributum solvendum minuatur.

Sol.—Respondet Fanfani: «Controvertitur inter auctores, sed sententia probabilior est negativa. Ratio est, quia ex consuetudine generaliter accepta, etiam a probis, non solet in his instrumentis conficiendis totum pretium declarari, sed inferius vel quasi conventionale, relinquendo fisco determinare, per aestimationem peritorum, si ei placuerit, verum pretium. Si autem non peccant partes verum pretium dissimulando, non peccat notarius ex cooperatione; ipse enim non constituitur ad tributa ex officio exigenda, sicut praepositus vectigalium, sed ad instrumenta conficienda» a.

C. IV.—Victorinus, debitis pressus, timet ne bonorum 408
cessionem facere cogatur. Victor, eius amicus, opem suam ei promittens, «Fingamus, ait, mutuum 5.000 francorum a me tibi praestitum; sic summa tibi servabitur». Adeunt Sabinum, notarium, qui, rei haud ignarus, instrumentum conficit. Reapse, cessione mox facta, Victor, qui curaverat ut hypothecae privilegio gauderet. 5.000 fr. cum creditorum detrimento obtinet.

Sol.—Ad hunc casum Ferreres: «Agendi ratio Sabini est iniquitatis plena: cooperatur enim scienter iniustitiae

1 Genicot, *Casus Conse.*, 448, ed. 1928.

2 Fanfani, *Th. Mor.*, III, 294.

gravi Victorini debitoris et Victoris ficti mutuatoris, qua damnum notabile creditoribus prioris infertur. Ergo Sabinus, deficientibus aliis damnificatoribus, utpote cooperator positivus seu in iniustitia participans, ad restitutionem obligatur» \

409 C. V.—Hegesippus, notarius, quasdam omisit sollemnitates, et ideo testamentum fuit declaratum nullum; teneturne de damnis?

Sol.—Ferrerres ipsemet respondet: «Si ob defectum sollemnitatum testamentum, sive apertum sive clausum, declaratum fuerit nullum, notarius tenetur de damnis secutis, si defectus ex eius malitia, vel ex eius negligentia inexcusabili, aut inexcusabili ignorantia, proveniat» a.

410 C. VI.—Egdunus, notarius, multa instrumenta publica conficere cogitur; ideo pro quorundam negotiis citius peragendis aliquid solet ab istis petere supra lege taxatum stipendium.

Sol.—Si ut illis clientibus satisfaciat, Egdunus extraordinarium debeat vel laborem suscipere vel sustinere incommodum—v. gr. noctes ducere insomnes, aliam adire civitatem—, non est cur inquietetur, haec enim sunt pretio aestimabilia. Esset tamen carpendus si tot simul instrumenta conficienda sponte susciperet quae conficere nequiret absque damno clientum.

i Ferreres, *Casus Conse.*, II, 23, ed. 1926.

» Id., *Th. Mor.*, I, 955, ed. 1932.

INDEX AUCTORUM

*Citantur numeri marginales.
Littera n notam indicat adiectam numero.*

- Abellân, 87, 91.
Aertnys-Damen, 81, 95, 108,
159n, 170, 176, 200n, 225,
237, 242n, 245n, 320, 327,
383n.
Aertnys-Damen-Visser, 81.
Alphonsus (S.), 20, 165, 179.
Antonelli, 349n.
Aristôteles, 345.
Augustinus (S.), 157.
- Ballerini-Palmieri, 20.
Banez, 28.
Bernardus (S.), 49.
Beste, 89.
Billuart, 11, 44, 204, 204n,
399.
Bucceroni, 168, 365.
- Caietanus, 39n, 303n.
Cappello, 200n, 241n.
Clemens VIII, 199n.
Coronata, 6.
Creusen, 241n.
- Damen, v. Aertnys-Damen.
- Fanfani, 3, 23, 45, 62n, 83, 98,
159n, 166, 170, 177, 184n,
187n, 238, 245n, 247, 314,
326, 332n, 400, 407.
Felici, 89n, 91n, 113n, 323.
Feltin, 154.
Ferrerres, 87n, 89n, 120, 169,
180, 181n, 227n, 248, 515,
336, 357, 408, 409.
Ferrerres-Mondria, 87n.
- Garrigou-Lagrange, 396n.
Genicot, 73, 84, 97, 121, 187n,
249, 284, 313, 366, 378, 406.
- Hering, 233n.
Hieronymus (S.), 277n.
Humbertus de Romanis, 43n.
- Innocentius XI, 170, 170n.
Ioannes XXIII, 268, 289n, 305,
308n, 379n, 385n.
- Kane, 43n
- Lahitton, 78.
Larraona, 8n.
Leo XIII, 136, 137, 138, 140,
205, 223n, 285n, 297n, 307,
308, 311, 390, 393, 394n.
Loew, 148n.
Lôpez (Ben.), 187n, 199n.
- Marc, 22, 124, 125, 161n, 228n,
236, 332n, 377.
Merkelbach, 176, 190, 201, 235n,
241n, 308, 318, 318n, 328,
331n, 344n, 381n, 388, 399n.
Mondria, v. Ferrerres-Mondria.
- Noldin, 228n, 230n, 310.
- Ottaviani, 394.
- Paban, 196n, 203.
Palazzini, 100n, 246, 306, 381n,
384n.
Passerini, 9n, 26, 30, 33.
Pellizzari, 20.
Piscetta-Gennaro, 200n.
Pistoni, 178.
Pius IX, 393.
Pius X (S.), 368.
Pius XI, 75n, 78n, 80n, 207,
212, 213, 222n, 223n, 224,
224n, 242, 264n, 277, 278,

- 291η, 293η, 298η, 300η, 305, 307, 311, 370, 371, 372η, 373η, 375.
- Pius XII, 74, 138η, 158, 233η, 252η, 253η, 255η, 257η, 262η, 263ω, 264η, 266η, 267, 269η, 270, 271η, 278η, 286η, 289η, 290η, 291η, 306η, 310η, 344η, 379η, 381η, 393, 393η.
- Pizzardo, 151, 152, 154.
- Prümmer, 36, 87ru 160, 181, 218, 331η, 399.
- Regatillo, 96, 122, 167.
- Rossi, 101, 105, 106η.
- Salmanticenses, 10, 69.
- Silvius, 380.
- Tanqueray, 86η, 145η, 300η, 327, 337η, 386.
- Thomas (S.), 26, 31, 35, 38, 38η, 39, 42, 47, 48η, 53η, 68, 75, 80, 93, 141, 163, 181η, 215, 217, 222, 226, 242, 272, 273, 277η, 280, 281, 285, 289η, 297, 298, 302, 304, 305η, 330, 331, 336, 339η, 347, 350, 356, 367, 368, 375η, 380.
- Valerius Maximus, 375η.
- Vallgornera, 28.
- Vermeersch 9, 86η, 87η, 128, 134, 175, 176η, 241, 245η, 307, 339, 399.
- Vidal, v. Wernz-Vidal.
- Visser, 336, 336η; v. Aertnys-Damen-Vlsser.
- Vitoria, 159η, 341, 356η.
- Wernz-Vidal, 8, 86η.
- Wirth, 85η
- Ylla, 135, 202.
- ZIGLIARA, 397η.

INDEX RERUM

*Citantur numeri marginales.
Littera n notam indicat adiectam numero.*

- Abdicatio bonorum religioso vetita, 8
Actio Catholica, 264ss; et apostolatus **inter** laicos, 152, 158, 264, 271n; dependenter ab Ecclesia, 266n; v. Laid.
Actiones in societatibus commercialibus et industrialibus, 89n
Advocatus, **quoad** patrocinium gratuitum, 356n; quoad honoraria, v. Medicorum honoraria.
Amor in nuptiis ineundis ac tutandis, 221ss; v. Coniugum.
Apostata a religione, 61, 73.
Apostolatus laicorum, 156s, 263s, 271ss, 290s.
Aptitudo individuorum multiplex, 280; v. Idoneitas.

Binatio, v. Missae applicatio.
Bona superflua, v. Proprietatis.

Caesarea operatio, 352.
Capitale non est fructus solius laboris operariorum, 293.
Cardinales, num ex laicis, 268.
Castitas prae ordinatione vel professione religiosa, v. Director, Ingressus, Vocatio.
Catechesis, v. Parochus.
Catholici, ut cives et ut fideles, 137; cum acatholicis in partibus politicis, 144s; v. Politica; eorum suffragium pro parte comunista, 146.
Chirurgus, v. Medicorum.
Circumstantiae notabiliter aggravantes et confessio, 179; v. Confessarius.
Cives et civitas, 277s.
Civilis et ecclesiastica potestas, 136; v. Ecclesiae.
Civitas et cives et familia, 277s; **illius** prosperitas, 390n.
Clausura papalis, 14ss; pro viris regularibus, 14; pro monialibus, maior, 15s, minor, 17ss; quos non urget, 15n, 21; num admittat parvitatem materiae, 19s; quoad ingressum feminae paganae, 21; quoad retentionem feminae iam ingressae, 22; quoad sacerdotem cui administranti communionem particula intra clausuram labitur, 23; regressus dilatio, 24; moniales **quoad** operam praestandam in ecclesia vel sacristia, 25.
Clerici ut cives et ut ministri Ecclesiae, 137s; v. Deputatorum, Negotiatio, Parochi, Politica, Senatores.
Coeducatio, 373s.
Commendatio animae, 167.
Communismus, num possit civili lege statui, 303ss; eius fictitia commoda, 302; ei suffragantes, 146.

- Commutatio intentionum**
Missae, 127ss; stipis excessus cui cedat, 130; quando **datur** intuitu personae, 132; negotiatus cum stipendis, 133; v. Missae celebratio.
- Compensatio occulta pretii conventi**, 332.
- Concordia ex metu**, 303n.
- Confessarius, iudex et medicus**, 170; quae interrogare debeat, 170ss, et quomodo, 171, 174; quoad suspectos de onanismo, 172ss, 250; quoad copulam dimidiatam, 235n; **quoad** impuberes, 177; quoad accusantes verba impia in Deum, 178; quoad circumstantias notabiliter aggravantes, 179; **quoad** moribundos, 180; **quoad** nomen complicitis, 181; quoad sententiam de vocatione, 216; loquens cum alio confessario de peccatis utrique confessis, 187s, vel cum paenitente extra confessionem, 191; indigens consilio, 190; fugiens ob minas, 192; v. Scientiae, Sigillum, Vocatio.
- Coniugum, an aequalia iura**, 224; obligationes mutuae, 217ss; amor, 217s, 221ss; domus administratio, 219; cohabitatio, 220; vir prohibens uxori religiosa exercitia, 225; volens peregrinationem instituere, 226; separatio a toro et habitatione, 227; viri pollutio an adulterium, 228; v. Continentia, Copula, Emancipatio, Onanismus.
- Consecratio mundi, opus lalcorum**, 269n.
- Consiliorum evangellicorum scopus**, 59n; v. Religiosus.
- Constitutiones religiosas**, v. Regula.
- Contemptus Regulae et perfectionis**, 39n.
- Continentia periodica**, 251ss; ob **prolem** numerosam, 254ss; matrimonium invalidans, 257; iniusta, 258; periculosa, 259s; quid agendum ccniugibus prae eius observantia, 261.
- Copula conlugalis**, 229ss; quando debeat ex lustitia, 229, vel caritate, 230; si coniux votum castitatis emisit, 238, vel est ebrius, 230n; si dubium de impedimento dirimente, 239; post ablationem uteri vel Interruptionem oviductus, 241n; si proles numerosa, 236, vel timetur vitiosa, 237; condomistica, 240ss; interrupta, 240, 242ss, eius voluptatis acceptatio, 246, excitatio post interruptionem, 247, responsabilitas **uxoris**, 248; demidiatam, 235; cum mediis occlivis vel obturantibus, 241; v. Fecundatio, Inseminatio, Onanismus.
- Cultuum libertas**, 394, 396s.
- Debitum conlugale**, v. Copula.
- Defectuum rei venditae manifestatio**, 342.
- Deputatorum munus quoad clericos**, 137.
- Deus**, v. Professionis, Vocatio.
- Dicotomia**, 357.
- Director spiritus in seminariis**, 205ss; eius necessitas, 205; dotes, 205s, officium duplex, 207; quoad secretum, 208ss; quoad vocationem alumnorum, 212ss.
- Diurnariorum praecipua virtus**, 379n; **obligationes**, 379ss; quoad explorationem factorum alienorum, 380; quoad divulgationem vitiorum alienorum, 381ss, 387; saltem hominum politicorum, 386; vel actorum trl-

- bunaliū, 335; praxis non vulgandi nisi crimina, 389; quae libertas concedenda catholicis, 388.
- Divites, v. Ius ad laborem, Patronorum, Proprietatis.
- Doctrina, v. Magistrorum.
- Domini, v. Patronorum.
- Ecclesia, quoad quaestiones sociales, 289n; eius doctrina socialis, 291n, huius atque politicae applicatio, 158; et potestas civilis, 136; eius separatio a Statu, 392ss.
- Educatio, quae nititur solis naturae viribus, 372n; civilis, 375; v. Coeducatio, Puerorum, Schola.
- Egressus et religione, 60ss; ipso facto dimissi, 63; per transitum ad aliam, 66ss; per saecularizationis Indultum, 64, 69ss; recusatum postquam Impetratum, 74; non expectatum, 73; v. Apostata.
- Eleemosyna, non facienda de alieno, 362; missarum, v. Missae celebratio.
- Emancipatio feminarum, 224.
- Emptionis - venditionis scopus, 305n, v. Mercatorum.
- Ephemerides, v. Diurnariorum.
- Episcopi, v. Senatores.
- Error In pretio suscepti operis, 329.
- Euthanasia, quid et quotuplex, 346; quid de lege condenda, 347ss; directe occulsa, 351.
- Evictio, 332n.
- Exclaustratus, 64.
- Exploratio alienorum secretorum, v. Diurnariorum.
- Falsa vitae aestimatio, 256.
- Famam falsam (lus ad), 387.
- Familia et civitas, 277s.
- Famuli, v. Patronorum, Operarii.
- Fecundatio artificialis, 231ss, v. Copula.
- Feminarum: emancipatio, 224; labor, 300, 309ss.
- Filius familias, quoad professionis electionem, 275, 234.
- Folia periodica, v. Diurnariorum.
- Fugitivus e religione, 62.
- Furtum religiosorum, v. Paupertatis.
- Gratia est semper praevia bonae voluntati, 80.
- Gregorianarum missarum Interruptio, 131.
- Gymnicorum certaminum praeceptor, 374.
- Gynecologus, 352n.
- Homilia, v. Parochus.
- Homosexualis tendentia In candidato ad ordines, 81.
- Honoraria, v. Medicorum, Notariorum.
- Idoneitas, Innata et acquisita, 51; v. Aptitudo.
- Imitatio mercis exterae, 333ss.
- Infamia, 387.
- Ingressus in religionem, 49ss; ad quid ordinatur, 57; libertas admittentis, 49, Ingressus, 49ss; Ingressum impediens, 56; Interdum differendus, 58; num peccatores excludendi, 59; num novicius teneatur profiteri, 57; v. Religiosus.
- Inseminatio artificialis, 231ss, v. Copula.
- Inspectores operis, 320, 328.
- Instituta saecularia; v. Laici, Negotiatio.
- Intentionum missae commutatio, 127ss.
- Iudex, et legislator, 347.
- Ius, gentium, 303; ad famam, 387; ad secretum, 380s; ad laborem, 285ss; partes parochi in ipsum ad praxim deducendum, 288ss; partes divitum, 286s, 293ss, 299ss,

- 306; partes Status, 286s, 294, 296
- Labor, obligatorius, 274; quem quisque suscipiat, 275, femineus, 300, 309ss; graviter noxius 313; laboris contractus, 305n; v. Ius ad laborem, Professionis.
- Laici, et apostolatus, 156s, 263s, 271ss, 291n; et magisterium, 264, 267; et institutio catechetica, 161n; et consecratio mundi, 269n; eorum munus in Ecclesia, 262ss; an elementum mere passivum, 269; et cardinalatus, 268; v. Actio, Theologia.
- Legislator et iudex, 347.
- Legum scopus, 32n, 304.
- Libertas, v. Cultum, Diurnariorum.
- Licitatio, 325s.
- Lock-out, 317.
- Machinarii, qui, 318; eorum obligationes, 318ss; quoad damna operariorum, 321ss; quoad materiam adhibitam, 327; quoad licitationem, 325s; quoad inspectores laboris, 328; si res perit, 320; si erraverunt in pretio operis, 329.
- Magistrorum obligationes, 367ss; prae munere et durante munere, 367; in scholis catholicis, 264, 268; quoad doctrinam Ecclesiae aut falsam, 368; docens in schola mixta, 376, neutrali, 377, religioni adversa, 378; v. Coeducatio, Educatio, Gymnicorum, Montessori, Schola.
- Manuscripta religiosorum, 9.
- Maritus, v. Coniugum, Matrimonium.
- Matrimonium, v. Amor, Coniugum, Copula; eius abusus et confessio, v. Confessarius; sacerdos illud attentans, 99ss.
- Medicorum: honoraria, 356ss, si pauperes arcentur aut supra morem vel ultra necessitatem, 358ss, pro aegrotorum condicione oeconomica, 362s; pro fama acquisita, 364, multiplicatio visitationum, 365, patrocini-um renuens debitori, 366; lura in aegrotos, 344; obligationes, 343ss, quoad sacramenta, 344, quoad dubia in conficiendo mortis documento, 355; v. Caesarea, Euthanasia, Narcoanalysis, Psychoanalysis, Sterilizatio.
- Mercatorum obligationes, 330ss; mixtio et imitatio mercis, 333ss; defectuum manifestatio, 342; v. Pretium, Venditio.
- Mercatura, v. Negotiatio.
- Merces laboris, v. Patronorum.
- Mixtio mercis optimae cum deteriori, 333ss.
- Missae applicatio pro populo, 110ss; quibus incumbat, 110; quibus non, UOn; quando, 111ss; qualiter, 114; Guoad parochum, 115ss, 118, 120s, binantem, 122; quoad vicarium curatum, 111n, perpetuum, 111n, oeconomum, 119.
- Missae celebratio ob stipendium, 123ss; obligatio, 123s; stipendiorum transmissio, 125s; stipendii excessus datus Intuitu personae, 132, stipendia colligens, 133; stipendia amissa, 134, vel depretiata, 135; v. Gregorianarum, Intentionum, Negotiatio.
- Missae manuales et ad Instar manualium, 125n.
- Moniales, v. Clausura, Oboedientiae, Paupertatis, Regula.

- Montessori, methodus, 369, 371s.
- Narcoanalysis, 353.
- Negotiatio, quid et quotuplex, 86; quaenam vetita clericis et sub qua poena, 86ss, 93; quid importet, 86n; quaenam levls, 87n; cambiaria, 87, 90; pro vitae necessitate, 94; gestio domus rusticationis, 92, vel commercii habiti ex hereditate, 95; quoad membra Institutorum saecularium, 98; quoad stipendia missarum, 133; v. Actiones, Obligationes.
- Notariorum obligationes, 401ss; quoad secretum, 401s; quoad documenti ostensionem, 403ss, quoad legatum, 406; quoad pretium signandum, 407; quoad instrumentum conficiendum, 408s; quoad honoraria, 410; notarii ecclesiastici, 401n.
- Obligationes in societatibus commercialibus vel industrialibus, 89n.
- Oboedientiae: virtus non maxima, 30n; eius obiectum, 26; votum religiosum, 26ss; meritum virtutis et voti, 27ss, 35, 48; in gratis et ingratum, 26; agens ex licentia superioris, 30; in doctrina tradenda, 33; v. Paupertatis, Regula, Superiores.
- Onanismus coniugalis, 240ss; quid liceat necne uxori, 243ss; num haec debeat **negare** debitum, 249; v. Confessarius, Copula.
- Operarii, v. Ius ad laborem, Patroni; eorum evangelizatio, v. Actio, Laid, Sacerdos.
- Operis susceptores, v. Machinarii.
- Ordinandus, v. Director, Vocatio.
- Ovlductus Interruptio an reddat copulam Illicitam, 241n.
- Parochus, quis, 159; eius obligationes, 159ss; quoad sacramenta administranda, 160, 166s; quoad praedicationem et catechesim, 161, 168; quoad residentiam, 159, 165; quoad renuntiationem beneficii, 162ss; quoad lus ad laborem in praxim reducendum, 288ss; quoad Missam applicandam, v. Missae applicatio.
- Patronorum obligationes, 307ss; quoad famulos aegrotos, 314; quoad salarium, 307 315s; quoad dimissionem operariorum, 317; v. Ius ad laborem, Labor femineus.
- Pauperes ficti, 274n.
- Paupertatis** votum, Iss; quando non peccatur contra votum, 1, quando contra solum votum, contra iustitiam, contra utrumque, 2; materia gravis, 3; restitutionis obligatio, 4; licentia requisita, 5ss, 11s; dominium manuscript!, 9; furtum et restitutio, 13; v. Abdicatio.
- Peccati consuetudo fatenda confessario, 170n.
- Peccatores, v. Ingressus.
- Peculium, 1, 6.
- Pecuniam servans improductivam, 306. v. Divites.
- Perfectionis desiderium et spontanea renunclatio statui religioso, 54.
- Periodica folia, v. Diurnarium.
- Politica actio: quoad sacerdotes, 137ss; quoad fideles, 137; politicae parti suffragantes cum acathollcis, 144s, cum communistis,

- 146; politicae doctrinae Ecclesiae applicatio, 290n.
 Politicus, quis bonus, 375n.
 Potestas civilis et ecclesiastica, 136; v. Ecclesia.
 Praeceptum, v. Superiores.
 Pretium iustum, 331; summum et infimum, 87n; affectionis, 338; utilitatis eminentis, 339, 363; infra legale, 340; conventionale, 341. v. Mercatorum.
 Probationis scopus, 57.
 Professionis electio, 274ss; an imposita a Deo, 281; an imponenda, saltem significanda a Statu, 276 ss, 282s; an a parentibus, 284.
 Propensio innata et acquisita, 80.
 Prophetia et instinctus prophetici, 272s; prophetica missio, 272s; **submissa** Ecclesiae, 273.
 Proprietatis functio socialis, 297ss; ius proprietatis est gentium; num ideo possit ab hominibus abrogari. 303; v. Communismus, Tituli.
 Psychoanalysis, 354; **prae** Ordinibus vel religiosa professione, 75n.
 Puerorum, an bonitas originaria, 372; v. Confessarius.
 Redhibitoria vitia, 332n.
 Regula religiosa, 36; eius obligatio, 36ss, communiter sub poena, 36; sed interdum adest peccatum in eius transgressione, 39; eius contemptus, 39n; meritum voti ac virtutis oboedientiae in eius observantia, 46ss; v. Oboedientiae, Superiores.
 Regulares, v. Clausura.
 Religio: **id**rtus, non maxima, 30n, eius actus, 30n, 48n; status, v. Clausura, Egressus, Ingressus, Oboedientiae, Paupertatis, Regula, Vocatio
 Religiosus, v. Egressus, Negotiatio, Religio.
 Requies dominicalls operariis concedenda, 308.
 Romani veteres, 375n.
 Sacerdos, docens in schola mixta vel neutrali, 376s; **matrimonium** attentans, 99ss; quid si non potest a complice discedere, 107ss; **vel iam** discessit, 107s; quoad Interventum in rem politicam, 137s; si **prohibitus** ab Ordinario, 142; quoad proponendam Ecclesiae doctrinam socialem, 289ss; quoad apostolatam inter operarios, operarii instar, 147ss.
 Saecularizatus, 64.
 Schola nova, 370ss; v. Montessori.
 Scientiae ex confessione habitae usus, 194ss; quomodo differat a sigilli violatione, 194; pro deneganda **subdito** administratione, 197ss; in concionibus et colloctionibus, 200; ad fugiendum paenitentem, 201s; ad vigilandum eum, 203; ad fugiendas insidias, 204.
 Secretum, ius ad, 380s; v. Director, Notariorum, Medicorum obligationes, Scientiae, Sigillum.
 Seminarista, v. Director, Vocatio; quoad apostolatam inter operarios, operarii instar, 154n, 155.
 Senatores, qui 390; eorum obligationes, 390ss; suffragatio legi iniustae, 398s; abstinens a suffragio, 400; senatoris munus quoad clericos, 137, 143.
 Seniorum oboedientia difficilior, 35
 Separatio: v. Coniugum, Ecclesiae.
 Sigillum confessionis, 182ss; quid et undenam, 182; eius

- oblectum, 183; sublectum, 184; violatio, 185; v. Confessarius, Scientiae.
- Socialis et politicae doctrinae Ecclesiae applicatio, 158.
- Socialistae, v. Ius ad laborem, Proprietatis.
- Status, v. Ius ad laborem, Professionis; eius ab Ecclesia separatio, 392ss; an iudicare possit de facto revelationis, praecipere contra conscientiam subditorum, constituere cultum officialem, 396
- Sterilizatio feminea, 352.
- Stips missarum, 123ss, 132ss; v. Missae celebratio.
- Sufficiencia vitae necessaria ad virtutem, 289n.
- Suffragium in electionibus politicis et administrativis, 138n; pro determinata parte politica, 139ss; pro parte comunista, 146; pro minus indigno, 145n; pro lege iniqua, 391, 398s; v. Senatores.
- Superiores, an debeant explanare subditis rationem praeceptorum, 32; religiosi, an obligare possint sub sola poena, 45; praecipientes, 26, 43n, 46s; eorum praeceptum multiplex, 26s; num obligent ad determinatam doctrinam tradendam, 33; eorum licentia, 30; eorum usus notitiae ex confessione habitae, 199; v. Oboedientiae, Paupertatis.
- Susceptor operis, v. Machinarii.
- Theologia laica, laicatus, pro laicis, 270.
- Tituli industriales et Status, 306.
- Transitus in aliam religionem, v. Egressus.
- Usus: scientiae, v. Scientiae; matrimonii, v. Coniugum, Copula.
- Uteri ablatio, 241 n.
- Utilitas vendentis vel ementis an titulus ad augendum pretium, 338s.
- Uxor, v. Coniugum, Copula.
- Venditio - emptio, 330, eius scopus, 305n; v. Mercatorum, Negotiatio.
- Venditores, v. Mercatorum.
- Vestitus immodestus, 374.
- Vicarius oeconomus, curatus, perpetuus, quoad missam pro populo, 111n, 119.
- Virtute Indigemus ad operandum bonum alienum, commune maxime, 32n.
- Vita, communis, 1; vitae falsa aestimatio, 256.
- Vitia redhibitoria, 332n.
- Vocatio religiosa, v. Ingressus; sacerdotalis, 74ss; non consistit in propensione, 77ss; num homo vocet seipsum, 77ss; qui non vocentur, 81ss; episcoporum normae, 82; absolutio deneganda ei qui ad Ordines aspirat turpi vitio deditus, 83; vocationum promotor, 85; ingressus in seminarium, 84s; institutio psychoanalytica, 75n; «si non fuisti vocatus...», 80; vocationis amissio, 55. 212s; v. Confessarius, Director.
- Votum, religionis, seu Ingressus religionem, 50n; paupertatis, oboedientiae, v. Oboedientiae, Paupertatis, Regula, Suffragium.